
IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGÆ GENVENSIS

EPISTOLARVM LIBRI TRES.

AD PERILLVSTREM IOANNEM VINCENTIVM IMPERIALEM.




GENVÆ, MDCIII.

APVD IOSEPHVM PAVONEM.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD

PERILLVSTREM
IO. VINCENTIVM
IMPERIALEM.



DE VERA hominum nobilitate non eadem omnium ſententia eſt. Ad vetuſti generis claritatem multi, ad propriam cuiuſq; virtutem alii eius ortum referunt. haud mearum virium cauſſam huiuſmodi diſceptare. præclara certe ſcriptorum monumenta eum vere nobilem aſſerunt, qui maiorum decus cum propriis ornamentis coniunctum habeat. Ac mihi quidem Genuenſem iuuentutem contemplanti huius ordinis non pauci occurrunt. inter quos te, Io. Vincenti Imperialis, elucentem conſpicor. quippe Paterna, Maternaq; Gens tot iam per ſęcula opibus, cognationibus, bellica, togataq;



virtute, egregiisq́; in Remp. promeritis claræ mire te nobilitant. præcipua vero decora adeo illustrant, vt non tam Lunæ lumen aliunde mutuanti, quam Soli proprio splendore collucenti conferendus videare. Tu priuatæ gloriæ, publiciq́; commodi appetens non in otio, non in alea, sed in ipso Palladis sinu educatus eo altitudinis processisti, vt omni virtutum genere emineas. Prudentia quidem tua, doctrina, grauitas, fides, liberalitas, comitas, modestia rapiunt omnes in amorem tui. Prauas cupiditates, quibus se plæriq; emancipant, tu in eas imperium habes. Optimi Ciuis, integerrimi Iudicis, perfecti Senatoris partes tibi tam notæ, quam cui maxime. Rectus vitæ tuæ cursus facit, vt non obsoletam, sed vt renatam in te agnoscamus Maiorum tuorum amplitudinem. Rempublicam autem haudquaquam inermis, sed eloquentiæ armatus præsidiis capesses.

ſes. Iam nunc te mihi grauiſſimæ munera ſplendide obeuntem, maximis de rebus prudenter differentem, difficillima quæque conſiliis tuis explicantem propono. Huius rei non obſcurum ſpecimen editum eſt, quo die in celebri Academia Veſtra maturæ prudentiæ plenam Orationem habuiſti. Qui Virorum, qui Senatorum concurſus ad te audiendum? qui ſermo de te tota Vrbe? qui tuum ob os in te ora non conuertebant ſua? o propriis laudibus felicem. o prudentem, qui Auiti, Paterniq; animi ad egregia facta indolem ſtudio, atque imitatione perfeceris. o generoſum, qui nolueris Auos, Atauosq; tuos mortali hac vita perfunctos notiores eſſe te, quem viuentem tota Ciuitas intuetur. Quid mirum igitur, ſi circumſpectaris vndiq; vt Genuenſis nominis ſingulare ornamentum? ſi ex tantarum virtutum ſemine vberiorem in dies meſſem Reſp. exſpectat?

ctat? si clarissimum Virum Parentem tuum te tali Filio in primis fortunatum appellant omnes? si hoc exoptant Ciues, vt sui ipsorum liberi ad verum decus per vestigia tua gradiantur? si amplissimis Reipublicę muneribus, quæ te profecto manent omnia, iam nunc parem esse prudentiam tuam vna omnium voce celebratur? si deniq; veræ nobilitatis titulum penes te tot bonorum præclaris insignibus conspicuum esse diximus? Ac profecto meritorum tuorum fama tota iam Italia volitans longius in dies alas extendet. O si det mihi Deus oratoriam, poeticamq́; facultatem, propter quam tu in ore es omnium; næ ego illam nusquam libentius, quam in laudum tuarum præconiis ostentem. Qua spe destitutus te deprecor, vt his Ioannis Nicolai Saulii Carregæ Epistolis tibi dicandis sinas me meam erga te propensionem, atque obseruantiam aliqua ex parte de-

cla-

clarare. Peracri eſt ille vir ingenio, multipliciq́; eruditione: tui, tuiq́; ſimilium amans ſupra quam cuiquam memorabile eſt. Quanto virtutem pretio ęſtimet, id argumento ſit, quod illa duce, morum ſuauitate comite, doctorum Virorum, eorumdemq́; clariſsimorum amicitias ſibi ex tota Italia adiunxit. Sed homo minime ambitioſus res luce digniſſimas tenebris occultabat. De ſuis enim ſcriptis modeſte ſentiens hominum conſpectu indigna arbitrabatur. Cumq́; in iis, exitura non exiſtimans, fecundo ingenio ſuo indulſerit, atque vltra Epiſtolæ limites excurriſſe interdum videri fortaſſe poſſit, non parum metuebat, ne certa animi deliberatio tamquam iudicii error notaretur. Vt vero a me inſtante quotidie, ne rem tam laudabilem diutius comprimeret, futurum audiuit, vt in clariſſimo nomine tuo appareret, eam totam arbitrio meo permiſit. Enixe igitur te rogo,

vt

vt hoc eruditi viri, amiciq; tui opus, amicissimi, ac deditissimi munus, non amice modo accipias, & legas; sed, quo soles virtutem patrocinio, benigne etiam tuearis, atque defendas. Vale.

Dat. Genuę XIII kal. Aug. MDCIII.

Perillustri Dominationi Tuæ

Addictissimus,

Hieronymus Frugonius.

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS EPISTOLARVM



LIB. I.

IO. THOMAE IVSTINIANO CAMILLI FILIO.

NON *parua afficior voluptate, Ioannes Thoma Iustiniane, quod, omnibus rebus posthabitis, litteris animum te totum tradidisse intelligo, & in ijs ita versari, vt vnam maxime spectes eloquentiam, vnam colas, vnam admireris; & nullos existimes maiores esse fructus, quam qui ex ea colliguntur. rem tu quidem omnium difficillimam, sed eamdem omnium pulcherrimam diligis. cuius ego pulchritudine ita delector, vt tibi non concedam, qui magis illius amore, ac desiderio flagres. Ac profecto hoc mihi ad amicitiam nostram deesse videbatur; vt, quemadmodum similitudo quædam morum, & voluntatum consensio nos inter nos coniunxisset; ita studiorum societas, similitudoq; coniungeret. Idem enim sentis, quod ego: homines ad intelligendum, & agendũ esse natos; eam denique esse vitam, quæ*

tota in honestis actionibus, tota in præclaris litterarum studijs consumitur; nihil vero eloquentia esse præstantius, nihil laudabilius, nihil iucundius. recte quidem vterque sentimus. Ecquæ, vt vere dicam, voluptas ea voluptate maior esse potest, qua afficimur, dum vel Poetas, vel Oratores, vel Historicos legimus? quid enim aut Ciceronis eloquentia dulcius, aut historia Cæsaris suauius, aut Virgilij poesi iucundius inueniri potest? hæ sunt illæ præclaræ artes, quibus ad humanitatem, & morum elegantiam excolimur: quæ tantum possident vtilitatis, vt ijs imbuti meliores efficiamur, ac melius, sapientiusq; viuamus. quæ quidem vtilitas eiusmodi est, vt late pateat, neque ad nos tantum pertineat, sed ad vniuersos ciues, & ad Remp. se porrigat, atque explicet. quamobrem tibi magnopere gratulor, quod ex eo hominum numero te exemeris, qui ita viuunt, vt ad voluptatem omnia referant; ijs rebus seruiant, quibus imperare debeant: qui ita ignauiæ dediti sunt, vt hæc præclara litterarum studia contemnant, nihil excelsum cogitent, nihil amplum, nihil illustre. quos quidem ego, tantum abest, vt homines putem, vt belluas quasdam existimem. Tu perge quæso; iter gloriæ ingressus es. Propone tibi ante oculos domesticæ virtutis exempla. O quam præclara sunt omnia, quam illustria, quam plena dignitatis, & gloriæ! Incipiam ab Ansaldo Iustiniano auo tuo. vide quibus tandem gradibus ascendens

ad

ad summam gloriam, laudemq; peruenerit. annum agebat vix dum sextum, & decimum, cum ita græcis, latinisq; litteris excellebat, vt prope singularis existeret. cum Patauium deinde eloquentiæ, & iuris ciuilis scientiæ comparandæ caussa se contulisset, tantos in vtroque studio breui tempore progressus fecit, vt inter iuris peritos eloquentissimus, & inter eloquentes iuris peritissimus esset. Itaque, quamuis ille in maxima eruditissimorum hominum frequentia, non ambitione, sed artium liberalium studijs quotidie magis incensus Patauij viueret; ea tamen de illius prudentia, & doctrina fama percrebuit, vt esset absentibus etiam notus. verum, cum in Patriã carus, exspectatusq; omnibus redijsset; eius virtus re postea ipsa, quã antea fama, illustrior exstitit; vt nullius apud ciues nostros auctoritas maior esset, quam Ansaldi Iustiniani vel propter summam eius eloquentiam, vel propter admirabilem iuris intelligentiam. Itaque maximis de rebus pacis, ac belli legatus modo ad Imperatorem, modo ad Pontificem sæpe missus est. quibus in legationibus talem se præstitit, vt non tantum ipse legati munere bene functus sit, sed etiam alijs legationis bene gerendæ exemplum tradiderit. Hunc viri principes ita diligebant, atque admirabantur, vt omnia, quæ vellet, ab illis impetraret, & ad eos nunquam accederet, quin honoribus ornatus amplissimis in Patriam reuerteretur. Legationis vero

suæ munere perfunctus non statim se otio, atque quieti tradebat; sed, ut otio communi consuleret, nullam ipse quietis partem capiebat. quoties ille improborum Ciuium conatus a Rep. auertit, furorem exstinxit, audaciam oppreßit? qua quidem in re admodum fuit eius virtus laudanda, qui Reip. studiosißimus nihil melius existimans, quam ab omni ciuili contentione abesse, nullius consilii, quod Reip. minus utile videretur, particeps esse voluit. eximia eius erat in Patriam pietas, & amor, cui ille, quibuscunque rebus potuit (potuit autem plurimis) prodesse nunquam destitit. idq; cum faceret, non eum honorum cupiditas, sitisq; tenebat; sed secum ipse existimans conscientiam ipsam factorum egregiorum amplissimum virtutis esse præmium; nihil habebat antiquius, quam ut suorum ciuium saluti, libertatiq; consuleret. Itaque tanquam Patriæ parentem Ansaldum Iustinianum omnes colebant, summis honoribus prosequebantur. multiq; ex Nobilitate nostra eius domum frequentabant, alii ab eo consilium exquirentes, alij auxilium petentes. Nunc vero cum affecta iam sit ætate (quartum enim annum agit, & nonagesimum) ac, omissa Reip. cura, in otium se contulerit; sacras litteras toto pectore complexus est, & Diui Bernardi sapientißimis scriptis maxime delectatur. Sed illud profecto raro accidere solet, ut ex probo patre, improbi filij nascantur. relinquet auus tuus effigiem, &

do-

doctrinæ, & integritatis suæ filios, in quibus non minus, quam nunc in se ipso, clarus, atque illustris in posterum viuet. Marcus enim Antonius, qui ceteros ætate anteit, vestigia Patris ingressus ad summam iuris ciuilis gloriam peruenit. a rebus vero gerendis abhorrens, ipse sibi, ac Deo viuens, genus illud vitæ secutus est, quod totum in rerum contemplatione versatur. Non enim illud tantum curandum esse existimat, vt floreamus ingenio, industria valeamus, litteris præstemus; sed hoc etiam simul considerandum, hæc omnia inania esse, nihil solidi habere, nisi cum vitæ innocentia, ac erga Deum pietate copulentur. atque, vt Marcum Antonium prætermittam, Camillus Pater tuus item iurisconsultus, Ioannes Thoma, non ne alijs exemplum præbet veteris innocentiæ, & sanctitatis? nam, si quisquam est, qui domestica patris virtute ad verum decus excitari debeat, is es profecto tu. hic tibi est imitandus, huius vita, huius disciplina, tibi ante oculos ponenda. vide, vt in Deo ipse acquiescat, vt Deum omnibus rebus anteponat, vt ad Deum omnes suas dirigat cogitationes. Sed nolo te hoc loco pluribus hortari, vt ad imitationem patris tui te ipsum componas, ne id tibi suadere videar, quod te tua sponte facturum esse certo scio. atque mihi quidem in Familiam tuam intuenti hoc illius proprium esse, & omnino datum hoc ipsi diuino quodam munere videtur, vt laudibus vndique floreat,

reat, ut clarorum virorum numerum augeat. nam de Fabio, ac Benedicto, ambobus e Societate Iesu, quid dicam? qui ille vir Deus immortalis, & quantus exstitisset, si ei vita longior contigisset? hic vero qualis, & quantus est? ita enim doctrina, & sanctitate clarus viuit, ac semper vixit Benedictus, ut unus inter omnes emineat, ac eius vitæ splendor nullis poßit maculis aspergi. Ita prudentia, consilioq; excellit, ut nemo ex Cardinalium Collegio fere sit, qui non eum in oculis ferat, qui non suorum consiliorum participem faciat, qui non maximarum rerum deliberationibus interesse velit. Ita de Republica Christiana benemerendi studio incensus est, ut nemo tam libenter labores fugiat, quam ille libenter suscipit, ut Ecclesiæ dignitas conseruetur, ut Dei gloria augeatur, ut veritas illustretur. Fabricius vero extra pueritiæ fines vix egressus vitam militarem ingreditur, & eques Hierosolymitanus factus, Religionem suam quanti faceret, semper ostendit. Nam, cum eo tempore Melitam insulam Turcæ obsiderent, ac vehementer oppugnarent, ille, ille vir, cui Religionis suæ dignitas, & amplitudo multo carior erat, quam vita; qui si in ea obsidione cecidisset, præclare actum secum putasset; ita strenue se gessit, ut non prius se ex periculo eripuerit, quam multas strages fecerit, & multis acceptis vulneribus ita languidus factus sit, ut iam se sustinere non posset. sed non placuit Deo, ut ille tunc

e vita

e vita excederet, ad alia fortasse tempora reseruatus. Et profecto incidit tempus, cum Hierosolymitana Religio, ac vniuersa Christiana Resp. cum sibi maximo fuisse adiumento senserunt. in illa enim ad Echinadas nauali victoria ita diligenter, alacriterq; suum Imperatori, atque Magno Magistro officium præstitit, vt ijs gratißima fuerit admirabilis eius virtus. qui Magnus Magister dum tantis debita virtutibus præmia persoluere cogitat, Messanæ Fabricius interea moritur, ea in cælo maiora percepturus. Vides, Ioannes Thoma, Maiorum tuorum facta. hæc considera, ad hæc animum sæpe conuerte. vndique tibi suppeditat, quod imiteris. liceat alijs laudabiliter nihil agere, & ita viuere, vt eorum fama ijsdem finibus se contineat, quos vitæ nostræ natura circumscripsit. tibi certe in hac tam illustri Familia, istis parentibus, ac maioribus nato, licere non arbitror. quare effice, & elabora, vt quam de te apud homines concitasti incredibilem exspectationem, hanc tu sustineas, & nos Patris in te disciplinam, Auiq; gloriam agnoscamus. Ego equidem, cum id te præstaturum certe confidam, ac ideo hortationem minime necessariam esse existimem, haud vlla alia de caussa ad te scribo, nisi vt intelligant homines, quantum tu me semper amaueris, quantumq; ego te semper & amauerim, & obseruauerim. Vale VI. *Id. Nouemb.* CIↃ. IↃ. VIC.

BAL-

BALTHASSARI AYROLO,
Bononiam.

QVIA *te vnice diligo, optime Ayrole, & quia de existimatione tua valde laboro; te non modo Bononiam incolumem venisse, verum etiam eruditum doctorem nactum optimis te studijs deditum intelligere cupio. Non enim dubito, quin ipse te nunc tandem colligas, & quæ sit fortunæ varietas, qui humanarum tempestatum fluctus, diligenter consideres. Equidem sæpe dolui, cum te plurimis iactatum perturbationibus huc, & illuc vagari perspicerem, neque, tot rebus tentatis, vllum contingere exitum, quem optasses, etsi ea prudentia te semper gessisti, vt non tam id dolerem, quam animi tui magnitudinem admirarer. adeo enim fortunæ motum, quantum humano consilio licuit, ratione, atque constantia gubernasti, vt, etsi te per rectam viam expedito cursu gloriam petentem illa quidem retardare potuit, impedire certe non potuerit. Nunc igitur maxime vellem, vt occasionẽ hanc oblatam amplecterere, & quo consilio parentes, & Patriam reliqueris, & Bononiam tanquam ad mercaturã optimarum artium te contuleris, sæpe numero cogitares. In ea enim es vrbe, in qua philosophiæ, & eloquentiæ studia ita vigent, vt inanem inde redire turpissimum sit. Ad has igitur præ-*

claras

claras artes, quibus te maxime incensum semper cognoui, alteram cum altera coniungendo, hoc tempore, si minus antea, toto pectore incumbere debes. ex vtraque enim omnis tua laus, omnis tua gloria pendet. nam siue in his humanitatis studijs excelles, siue, vt omnes vere augurantur, in Patriam reuersus maxima cum dignitate medicinam exercebis, nihil laudabilius, nihil gloriosius. quod vtrunque aliquando te præstaturum, animi tui præstantia freti facile adducimur, vt speremus. Habemus enim a te maxima & virtutis, & ingenij signa, quasi quædam tuæ gloriæ pignora, vt iam a te ipso vix videaris posse dissentire, quin aliquando ille futurus sis, quem fore speramus. Quod noui habeam, hoc est. Lucius Boerius in medicorum collegium nuper est cooptatus. Iacobus Arata, vir probus, & tibi notus, paucis ab hinc diebus, hora noctis fere secunda, misere interfectus est. cuius fratrem in Hispaniam profectum paullo ante vita excessisse audieramus. Vale. Genua. XII. *Kal. Dec.* CIↃ.IↃ.XCIII.

IOANNI ANDREAE CEVAE.

Romam.

QVOD *optime nosti, Ceua doctissime vir, ad duas præstantissimas res hominem natum esse, vnam, quæ in rerum cognitione alteram, quæ in actione versatur,*

omnes philosophi existimauerunt. Vtra vero ex his præstantior sit, nondum illis plane deliberatum est; & ego nunc necesse non habeo disputare. tantum dicam, eas ita mihi copulatas a natura videri, & alteram alterius auxilio egere, vt nullo modo seiungendæ sint. non enim eorum probo institutum, qui ita sese in litteris abdiderunt, vt ab agendis rebus omnino abhorreant. neque eorum itidem, qui rerum gerendarum in studio ita versantur, vt doctrinarum cognitionem contemnant. hos semper reprehendendos esse existimaui, cum alteris prudentiam, & consilium, alteris vero instrumenta, quibus ad agendum vtantur, deesse perspicerem. at vero qui rerum gerendarum vsum cum optimarum artium studijs iunxerunt, & in vtraque re maxime excelluerunt, ij vere sapientes, ij maxima prudentia præditi, apud me semper habiti sunt. qua quidem in re, vt multis in alijs nostri sensus maxime congruunt, nec a mea tua discrepat sententia. Putasti enim semper te frustra multa didicisse, multaq; a sapientissimis viris tradita memoria, & scientia comprehendisse, nisi ea vsu, atque experientia comprobauisses. Itaque, cum incidisset tempus, cum de sufficiendo aliquo viro, qui Reip. nostræ arcanis præesset, prudentissimis illis patribus deliberatio esset habenda; cumq; te vnum ex omnibus dignũ existimassent, cui hoc maximũ munus propter vel singularem doctrinam, vel maxi-

mam

mam prudentiam deferretur; incredibile est, quantam ex hac re lætitiam acceperis. quanta autem molestia affectus sis, quod sapientißimi illi Patres consilium illud, quod iam satis fixum videbatur, nonnullorum maleuolentia, an fortunæ iniuria? postea omnino mutauerint, facile perspeximus. existimasti enim occasionem tibi ereptam esse, in qua, quod maxime semper optaueras, quibuscumque rebus potuisses, Reip. atque amicis satisfecißes. etsi hanc dignitatem tibi optime de Patria merito omnes, qui recte sentiebant, deberi fatebantur, nec quisquam eorum inuentus erat, qui non maximam iudicij laudem ijs, qui de tua virtute aliquo præmio honestanda cogitauerant, tribuißet; & illa Mathæi Senaregæ eloquentissimi viri plane diuina vox Reip. nostræ fore, vt restitueretur, non existimasset. quod si qui tunc fuerunt, qui inconstantiæ crimen merito tibi inferri posse dixerint, & gloriæ tuæ, cui plurimum fauere debebant, obsistere conati sint; eos profecto dubia eße, atque incerta nostrorum consiliorum euenta, & multa præter spem, atque opinionem euenire, non considerasse satis constat. id enim si fecissent, ab alijs de te bene existimantibus dissentire non potuissent. quin immo prudentiam tuam potius admirati essent, quod ita vitam institueris, vt consilia tua temporum ratione moderari volueris, ac regere. quod maxime optabas, non contigit. numquid igitur te otio dedisti?

minime hercle. id facere neque volebas, neque poteras. virtus enim tua ita in conspectu clarissimorum virorum posita erat, vt in occulto latere non posset. nam, cum aliquot nobilitatis nostræ primarij adolescentes in Rhetorices studium incumberent, te potissimum delegerunt, qui sibi dicendi præcepta traderes, ac scientiæ tuæ thesauros suppeditares. hoc tibi legendi onere imposito alacriter suscepto, quam, Deus immortalis, distincte, quam explicate, quæ documenta dabas, exempla quæ afferebas? nihil a te dicebatur, quod non exquisitum, ac singulare, quod non dignum eorum studijs, atque auribus esse videretur. admirabantur ingenij, doctrinæq; tuæ vbertatem, & copiam; quæq; a te docebantur, sic auide arripiebant, quasi diuturnam eloquentiæ sitim purissimis tuis, uberrimisq; fontibus explere cupientes. sed, cum exiguum sane curriculum uirtuti tuæ circumscribi uideres; Romam, ubi magnus est campus, multis apertus cursus ad laudem, te contulisti, & aditum ad Amplissimum Sanctæ Seuerinæ Cardinalem tibi tua uirtute facile patefecisti. qui, ubi tuam in rebus gerendis diligentiam, in consilijs capiendis prudentiam, in laboribus perferendis constantiam perspexit, te statim in suis esse, & numerari uoluit; & quod tibi pluris esse debet, quam omnes omnium Regum diuitiæ, maxima amplexus est beneuolentia. nunc animi, ingenijq; tui præstantiam ostendis; nunc ex indu-

stria

ſtria tua fructus colliguntur uberes, & præſtantes; nunc te maximis rebus natum eſſe omnes intelligunt. Nam, quantum in doctrinarum ſtudijs uerſatus ſis, atque excellas, egregia tua ſcripta teſtantur. quorum eruditionem, & elegantiam, qui non perſpiciunt, ijs, ne id faciant, inuidiam, & maleuolentiam impedimento eſſe perſpicuum eſt. ego uero utramque orationem tuam libentiſſime lego, unam, qua quinque prudentiſſimis Senatoribus tunc recens creatis, totius Ciuitatis nomine gratularis: quæ tibi iamdudum eſt habita præſente Sereniſſimo Reip. noſtræ Senatu. alteram, in qua de ſummo bono, deq́ illius adipiſcendi inſtrumentis egregie diſputas: quam Piſis habuiſti in celeberrima Academia, cuius tum erat Princeps Petrus Lupus uir omni laude cumulatiſſimus. quæ quidem oratio Academicis illis ita probata eſt, ut eam admirarentur; & ita admirati ſunt, ut in ſua Academia te ſtatim haberi uoluerint, cum in aliam tamen adſcriptus iam eſſes. Sed, multa præterea non minus erudite, quam eleganter ſcripſiſti. quæ ſi unquam in lucem proferrentur, ſuauiſſimos ingenij tui fructus uberius deguſtaremus. ea nunc habet in manibus Ioannes Lucas Clauarus uir ſummo ingenio, maximaq́ prudentia præditus. qui per ueſtigia Patris ad æternum decus ita celeri curſu contendit, ut, quemadmodum ille ad ſummum Ciuitatis noſtræ gradum peruenit; ſic aliquando futurum, ut

ipſe

ipse quoque ad eundem gradum perueniat, omnes augurentur. Neque oratoria solum, sed poetica quoque facultate, vt omnes optime norunt, maxime excellis. Sæpe enim ex immensis oratorum campis in amœnissimos Musarum hortos libenter te recipis, versusq; scribis siue latina, siue etrusca volumus lingua, tanta suauitate, & grauitate, vt eos tibi Musæ ipsæ dictare videantur. quod si eum magnopere admiramur, qui vel poetæ tantummodo, vel oratoris nomen assecutus sit, quanto admirabilior tu nobis videri debes, cum bonus sis orator, bonus idem poeta? Præclarum vitæ tuæ institutum, qui & in tractandis negocijs, & in contemplandis rerum admirabilium caussis maxima cum laude verseris. hinc illa tua erga amicos plena amoris, plena studij officia proficiscuntur; hinc illa ingenij tui præclara monumenta, quæ tantopere admiramur; hinc illa exorta beneuolentia, qua te Sanctæ Seuerinæ Cardinalis, & Cardinalis omnium maximus, amplexus est. Equidem de ista tibi diuinitus delata occasione magnopere gratulor; eoq; magis, quod non quibus honoribus nunc auctus sis, vnum considero, sed quod eos amplissimos futuros animaduerto. quod cum euenerit, vtrique nostrum maxime gratulabor; tibi, cui merita virtutum tuarum præmia persoluentur; mihi, qui, quod semper maxime optauerim, contigisse perspiciam. Vale. Genua. IX. Kal. Maij. CIↃ.IↃ.XCIIII.

GA-

GABRIELI CHIABRERAE,

Sauonam.

EGREGIVM *illud Poema nũquam lego, quo summorum Imperatorum laudes grauißimo, ac suauißimo carmine prosequeris (quod ad animi mei lætitiam sæpe facio) quin ingenium tuum maxime admirer, qui tantã tibi, & sententiarum grauitatem, & verborum elegantiam cõparare potueris. Equidem ingenio, quo excellis, & natura qua plurimum vales, hanc tibi poeticam facultatem iam inde ab adolescentia comparasse arbitror; sed multo magis id accidisse iudico studio, atque industria, quibus labores facile perfers, & difficilia, atque ardua quæque superas. Nam, cum intelligeres aditus ad Musas difficiliores esse, sed nihil difficile, quod idem non præclarum; summis tu quidem laboribus, ac vigilijs eos tibi patefecisti, eo iam progressus, quo paucis adspirare liceat. non enim tibi gloriæ duxisti pedem ponere, vbi eorum, qui nostra patrumq; memoria extiterunt, vestigia essent impressa; sed vias haud tritas inquirens, vsitatas relinquens, aliam tu quidem in poematibus componendis longe perfectißimam rationem inijsti. nam in antiquitatis præclara monumenta intuens, vnde optimarum artium studia fere emanant omnia, tam incredibili veræ poesis studio exarsisti, vt*

nihil

nihil tibi antiquius fuerit, quam relictis riuulis, ex ipsis græcorum fontibus vberrima illius præcepta haurire, & antiquis illis vatibus te quam simillimum reddere. Ex quibus omnibus solus Pindarus dignus tibi visus est, quem tu in manibus sæpe haberes, quem tractares aßidue, quem omnino imitatione exprimeres. ardua res, ac difficilis, quod ex eo patet, quia nemo adhuc præter te hoc præstare potuerit. fertur quasi torrens Pindarus copia dicendi, & grauitate; qui siue mores hominum corrigat, siue Deos, Regesq; canat, siue res gestas, & bella narret; ita in dicendo admirabilis est; vt eum imitari pæne sit τῶν ἀδυνάτων. Sed hanc difficultatem, qua multi licet gloriæ cupiditate incitati impediuntur, sustulit prorsus ingenium tuum, atque ita sustulit, vt summum illum Poetam non imitari, verum adæquare videaris. Solent plærique eorum, qui hac nostra ætate se poetas dici volunt, & esse arbitrantur, inanes versus pangere, vt indoctam multitudinem delectent, & ab ea ipsi laudentur. tu vero solidam, veramq; gloriam quærens a doctis viris tantummodo tua scripta probari maxime gaudes, & antiquam illam consuetudinem non modo nobis laudandam, verum etiam maxime imitandam, vt summis laudibus militari gloria præstantes viri in cælum tollerentur, longo interuallo retulisti. Te felicem, mi Gabriel, qui tot virorum illustrium memoriam reddis immortalem,

talem, & te ipsum quoque tuis amplissimis scriptis celebras, atque illustras. Viuunt enim fortissimi illi Heroes immortalitate dignissimi viri, quos tu praeclarissimis versibus ab interitu vindicasti; atque ita viuunt, vt mors, quae cum corporibus nomina simul exstinguere conatur, nihil de eorum gloria detrahere posse videatur. quorum res praeclare gestas dum ipse canis, silere mihi prorsus multi huius aetatis Poetae videntur. qui quidem illam ingenij tui praestantiam plane diuinam admirantur, sed eam se consequi posse omnino diffidunt. quamobrem, nullos habes, mihi crede, tuorum Poematum, vel aemulos, vel imitatores; nam aut te imitandum suscipere, aut tecum contendere, neque audent, neque, si id faciant, quidquam se profecturos animaduertunt. nec mirum. quis enim te in verborum electione ingeniosior, quis in sententijs prudentior, quis in tota rerum structura admirabilior? maxima legentium admiratione orationem semper auges, atque amplificas, eamq; varijs figuris, & coloribus semper exornas. nunquam tui dissimilis es, nunquam non grauis, nunquam non admirabilis. Sed illud iam mirari desinamus, te tanta florum varietate, suauitate odorum, fructuum vbertate Italiam non modo, sed omnem terrarum orbem etiam compleuisse, cum Paulli Manutij, at cuius viri? qui nimirum omni elegantis doctrinae genere politissimus fuit; disciplina, atque diligentia ex-

cultus, institutusq́ sis. quod mea quidem sententia tanti est, vt in eo non exigua laudum tuarum pars sita sit. atque ille lætari magnopere solebat, cum te alumnum disciplinæ suæ omni laude ornatum perspiceret, & qui futurus esses, iam tum quidem animo cerneret. & nunc, si viueret, plurimum sibi gratularetur, quod opinionem, auguriumq́ de te suum laudabili exitu comprobaueris, laudem illam, & gloriam tuis elegantissimis scriptis illustrans, quam olim ex illius doctissimi viri grauissimo testimonio cognoueramus. Has igitur omnes ob caussas laudandus es; sed ob hanc vnam vel maxime, quod cum omnes te vnice diligant, amicitiam tuam plurimi faciant, te admirentur, te denique maximis honoribus dignum existiment; nunquam tamen te ipsum laudes, nunquam de te prædices, nunquam te gloria efferas. quin etiam, si quando accidit, vt laudes ab aliquo tibi tribui audias, quæ tua modestia est, eas reijcere, & plane erubescere soles. ego vero non mehercule hæc eo consilio scripsi, quod mihi persuaderem splendoris aliquid laudibus tuis me allaturum (nam fecissem inepte, cum illæ ita excelso, & illustri loco sitæ sint, vt quemadmodum eas nulla inuidiæ nubes obscurare, sic illustrare nulla cuiusuis oratio possit) sed amore impulsus, quin aliquid dicerem, facere non potui. Vale. Genua. XIII. Kal. Ian. CIↃ.IↃ.XCIIII.

GA-

GABRIELI CAESARINO,

Romam.

CVM antea sæpe ab optimis, & eruditis viris de tuis præclaris virtutibus multa prædicari audirem; tum eorum testimonio commotus, tum naturali quadam erga viros excellentes propensione adductus, te non mediocriter amaui. postea vero quam tuam legi orationem, quam in funere Alexandri Farnesij Parmæ, & Placentiæ Ducis nuper habuisti, & plus esse in re vidi, quam quanta fuit multorum prædicatio; statui te omnibus non modo amandum, verum etiam summis laudibus ornandum. næ tu, Cæsarine præstantissime, cum primum aliquid sapere cœpisti, sapienter vitam instituisti. non diuitiæ, non opes, non honores, quæ inter homines maxima putantur, te ab instituto cursu reuocare potuerunt. sed hæc, quasi parum, aut etiam nihil ad te pertinerent, contempsisti, & alia multo maiora animo complexus es, quæ vere tua propria dici possent, nec tibi cum multis communia essent. omnes præclaras artes diligenter coluisti, quas nobilem scire æquum est adolescentem; virtutemq; ipsam tanquam pulcherrimam virginem ita adamasti, vt illam e conspectu tuo nunquam amiseris, cum tamen ceterorum adolescentiū voluptatis illecebris alij, alij inanibus re-

bus facile capiantur. quo minus mirandum est, si postea tantos, ac tam admirabiles in virtute progressus fecisti, & ex tanto adolescente vir ille exstitisti, qui in omni genere laudis pares quidem perpaucos, superiorem vero neminem habeas. nam, ut bene adolescentiæ initia posuisti, sic, progrediente ætate, cetera sunt secuta. Nunc viuis Romæ in Patria tua, quam theatrum habes tuarum actionum celeberrimum; ita in studio virtutis defixus, ita præclaris disciplinis institutus, ut sis alijs magnum integritatis exemplum, familiæ vero tuæ decus, & ornamentum. quæ quidem etsi satis clara est, adhuc tamen eam sic illustras, ut plus ne splendoris maiores tui tibi, an tu maioribus tuis afferas, dubium relinquas. quantam debes litterarum studijs gratiam, quæ tibi ad æternum decus aditum patefecerunt; ne vequis error a recta via te deduceret, cupide progredienti clarissimum lumen prætulerunt. Ea igitur merito quotidie magis amplecteris, & in earum cognitione, vel publicis, vel priuatis muneribus defatigatus, tanquam in tranquillissimo, ac iucundissimo diuersorio acquiescis. quæ cum antea omnino iacerent, nunc maxime vigent, ac florent, posteaquam te ijs mirandum in modum patronum profiteris, & eorum, qui ingenio, doctrinaq; excellunt, studia foues. qui nunc sibi maxime gratulantur, cum intelligunt te unum esse, qui his perditis temporibus, & a virtute omnino alienis, nihil prætermittis,

mittis, in quo ad eos cohonestandos aliquid subsidij esse putes, qui lingua, qui consilio tuo, qui opibus vti volunt. Perge, vt facis, vir praestantissime in hoc tuae singularis industriae cursu. hae sunt actiones dignae viro nobili, dignae viro litterato; te vero & viro nobilissimo, & litteratissimo dignissimae. viam quidem ingressus es, immortalitati proximam, vestigijs notatam sapientissimorum virorum, qui nostra, patrumq; memoria, floruerunt, quiq; Italiae clarissima lumina extiterunt. quorum decus omnium hominum ferit oculos, quorum splendorem nulla vnquam obscurabit obliuio. Ego quidem minime dubito, quin hanc de studijs bene merendi voluntatem perpetuo retineas, & eorum, qui in litteris versantur, commodis semper, vtilitatiq; seruias. dubitent, qui tuos ad laudem impetus, tuos mores, tuaq; instituta omnino ignorant. mihi quidem, cui vel ex tuis elegantissimis scriptis, vel ex multorum sermonibus haec omnia notissima sunt, nullus relinquitur dubitandi locus. quin etiam in hanc deuenio spem fore, vt prius defessi sint homines laudando, atque admirando hanc tantam virtutem tuam, quam tu eam exercendo. atque vtinam omnes in tuam vitam, tanquam in speculum intuentes, te imitandum sibi proponerent. profecto fieret, vt tua auctoritate, & exemplo incitati optimis artibus, quam diu viuerent, praesidio essent, & ornamento. Verum ineptus sim, si de tuis praeclaris laudi-

bus



bus plura dicere velim; cum certo sciam me nihil vnquam ita magnifice dicturum, id virtus quin superet tua. tantum dicam, si me in tuam beneuolentiam receperis, nullum vnquam me vberiorem, aut præstantiorem ex studijs meis fructum exspectaturum. Vale. Genuæ. XIIII. Kal. *April.* CIↃ.IↃ.XCIIII.

IO. NICOLAO SAVLIO CARREGAE, GABRIEL CAESARINVS S.

NOLI, *humanissime Sauli, hanc meam in scribendo tarditatem durius accipere; amplius enim sunt sex menses, cum vrbe absum; atque hinc, vt puto, euenit, vt vnus, & alter fere mensis intercesserit a die, quo tu scripseras, cum ego litteras tuas accepi. Non vereor igitur, quin hoc a te, quæ tua est humanitas, sim facile impetraturus; vt huic scilicet tarditati ignoscas, meq; extra omnem culpam ponas. qui enim cum omne officij genus, tum hoc potissimum semper habuerim antiquissimum; nunquam committam, vt a quoquam, nedum a tui similibus, meum possit accusari officium, aut requiri. Verum ad tuas venio litteras, in quibus nescio vtrum plus amem amorem erga me tuum, an latine scribendi, quam tenes, rationem suspiciam. De amore gratias tibi ago, vt debeo, immortales, habeoq; video enim te in litteris tuis multum plus illi, quam*

veritas

veritas concederet, tribuisse. neque enim is ego sum, qui, etsi laudem non fugio; tantum mihi in litteris arrogem, quantum impertiris. Vtinam, mi Sauli, quod mihi tribuis, sustinere possem: sane vberrimos fructus, me ex laboribus meis (quos non paruos in hæc studia impendisse non inficior) percepisse existimarem. At quidquid sit; tu videris, an de me recte sentias; ego interim cum amoris, tum iudicij de me tui, recordatione fruar. De scribēdi ratione, & lætor, et tibi gratulor. quod.n. adolescens adhuc (vt de multis audio) verā Romanæ linguæ viam non solum fueris ingressus, sed in ea tantos feceris progressus; non satis mirari possum. atque hoc tibi confirmo; si, quam instituisti, tenere viam perges; breui te in hoc scribendi genere peruenturum, quo adspirare paucis; accedere, vel summis cum laboribus, & vigilijs, nemini fortasse his temporibus, contingit. Spero autem, vel potius confido, te huic, quod de te habeo, iudicio responsurum: nosti enim tu optime ex te, quantam ad generis nobilitatem afferat accessionem eloquentiæ studium: atque multorum vtriusque familiæ (cuius cognomen alterum habes hæreditarium, alterum, vt opinor, sumpsisti) doceris exemplo. Nihil est igitur, cur te cum sponte tua, tum domesticis cōcitatum exemplis ad summam laudem, gloriamq; contendentem, meis cohortationibus inflammem. quidquid autem scripsi, vel potius attigi, non tui inflammandi caussa me fecisse,

ſe, ſed teſtificandi amoris in te mei, velim exiſtimes: cui enim ceteris rebus reſpondere non poſſum; amore certe reſpondebo. extremum illud eſt, vt te orem, & obſecrem, quando in me ſic animatus es; hanc tuam vt conſerues in me voluntatem; tibiq́ perſuadeas, nullum me vnquam, aut ſtudij, aut officij genus, quod ad te honeſtandum pertineat, prætermiſſurum; ita vt, te beneuolentiam meam tanti feciſſe, atque expetiſſe, nunquam pœniteat. quorum alterum de me, vt tibi polliceri poſſum; alterum a te vt expectem, tua ſingularis facit humanitas. Vale. Ex Cora. Idib. Maij. CIↃ. IↃ. XCIII.

ALEXANDRO SERTINIO.

Florentiam.

PVDORE *quodam factum eſt meo, Alexander Sertini, vt prius meam erga te beneuolentiam tibi non declararim. verebar enim, ne parum modeſti hominis eſſet eum litteris appellare, qui me ne de facie quidem, ne dum e ſermone vnquam noſſet, & qui totus in litteris, vt audieram de multis, abditus eſſet. Verumtamen, cum te ſingulari humanitate præditum eſſe intellexerim, & arbitratus ſim tibi pro tua prudentia eſſe compertiſſimum, tantam vim virtutis eſſe, vt vel abſentes coniungat, ac inter eos amorem conciliet, omni pudore depoſito, hanc ad te, tanquam pignus obſeruantiæ in*

te

te meæ, epistolam mittere volui. multas habeo caussas, mi Sertini, cur te præter ceteros obseruem, ac diligam. nam & in Ciuitate omnium florentissima natus es, & in litteris ita versaris, vt poetica facultate excellas. addo illud: testes habeo multa mihi de tuis præclaris virtutibus quotidie prædicantes, homines ita probos, ita prudentes, vt nec ipsi errare poßint, nec alios errare patiantur. Non enim beneuolentia mea mediocris est erga Ciuitatem hanc vestram, quæ & omnium bonarum artium hodie veluti officina quædam habetur, & litteratos homines omni officiorũ genere amplectitur, vt nemo eorum ita immemor, aut ingratus esset, qui non omnes res, quæ ad eius amplitudinem, & gloriam pertinent, libenter faceret. Est enim huius vestræ Ciuitatis laus quædam, & gloria florere studijs, & artibus, atque in omni genere laudis ceteris antecellere. quis est.n. qui hoc ignoret, nisi vrbs Florentia tot viros illustres omni tempore peperisset, ac pareret, futurum fuisse, vt aut præclaræ omnes artes iam exstinctæ essent, aut breui exstinguerentur? celebrantur vestri Poetæ, laudantur historici, commendantur pictores. nihil est laudabile, nihil egregium, in quo non Florentinorum ingenia plurimum semper excelluerint. alios prætcribo (sunt enim complures) Ioannẽ vero Casam tacitus nullo modo præterire queo. Possem ne eum ipsum non laudare, quem quidem post Franciscum Petrarcham Poetam sum-

mum, vere Poetam appellare possumus? qui tanquam clarissimum lumen Ciuitatem istam illustrat? istius quidẽ viri præclara monumenta ita per Italiam omniũ voce, & scriptis celebrantur, vt eius vnius tum doctrina, tum ingenio Vrbs Florentia pæne illustrior sit, quam multorum bellicis insignibus, & ornamentis. Hic mihi in delicijs est, hunc ego sæpe in manibus habeo, ac nemini concedo, qui maiorem ex illius præclarissimis scriptis voluptatem capiat. Non enim ijs assentior, qui minorem gloriæ fructum ex Poetis etruscis, quam ex latinis, aut græcis percipi putant. errant, mea quidem sententia, qui ita sentiunt. ac ipsi de suo consilio viderint. Ego Poesim etruscam vehementer amo, atque colo, meq; tum Francisci Petrarchæ, qui vnus ad summam Poesis gloriam peruenit, tum aliorum, qui ad eum propius accesserunt, Poemata delectant, cum nec splendor in verbis, nec in sententijs grauitas, nec iucunditas in numeris desideretur: cum multos habeant lepores, & multis tum ingenij, tum doctrinæ luminibus distincta sint. Pauci vero sunt, mi Alexander, & in hoc ipso paucorum numero tu merito habendus es, qui hac nostra tempestate Poetæ nomen assecuti sint. eorum autem, qui inanes versus pangant, infinita est multitudo. quamobrem in tanta bonorũ Poetarum pænuria te iure admiror, & colo; & quo maior est tui similium inopia, eo tu mihi maiori quadam obseruantia, ac vene-

ratione

ratione complectendus videris. contigit enim tibi, vt audio, quod paucis contigisse video, vt sententiarum grauitatem cum suauitate sermonis coniungeres, quarum altera prosis, altera vero delectes. Hæc sunt illa præclara, quæ in te magnopere laudo, quæq; in amorem tui me ita pellexerunt, vt teneri non potuerim, quin ad te scripserim. Non.n. diuitijs, aut opibus, aut dignitatibus homines distinguere soleo, sed doctrina, ingenio, & probitate. Nam, quod aliquis diuitijs affluat, honoribus abundet, nobilitate floreat, cum hæc omnia illi cum multis communia sint, non eum magnopere laudandum existimo; quod autem ingenio excellat, litteris præstet, pietatem colat, cum hæc vere sua propria dicere possit, eum omni laude dignissimum duco. incredibile igitur est, quantopere amicitiam tuam consequi cupiam, ac, vt tua mihi scripta mittas, desiderem. quod cum ita sit, maximum beneficium te mihi dedisse putabo, si voluntati meæ satisfeceris. Vale. Kal. Octob. CIↃ. IↃ. XCIIII.

IO. NICOLAO SAVLIO CARREGAE, ALEXANDER, SERTINIVS. S.

AIN' *tu, pudore quodam tuo factum esse, ne prius ad me litteras dares, veritus immodesti hominis notam? te ne pudeat beneficia in eum conferre, quem tua exi-*

mia virtus, ac singularis humanitas tibi deditissimum, tuiq; amantißimum polliceatur? quid? aduerso potius meo fato dixeris; cum ipse iure optimo dolere poßim honestissimo fructu voluptatis, & gloriæ diutius caruisse, quem maximum ex suauissimis litteris tuis percepi. Etenim, quod plurimi facias Vrbem Florentiam, eius sermonem probes, Poetas legas, ac poetica facultate summopere delecteris, iucundissimum sane fuit; non enim mediocriter animus oblectatur, si earum rerum ceteros studio teneri intelligamus, quibus ipsi addicimur aut natura, aut industria. quod autem beneuolentia me prosequaris, quæ tua est humanitas, colas, in tuis habeas, laudibus ornes, id certe non modo iucundum, verũ & gloriosum. Est enim hoc tuæ virtutis præclarum, vt, quos amore tibi coniunxeris, magna ijs accessio fiat honoris, & dignitatis. quare hac tua in me animi propensione nuper litteris declarata maiorem in modum lætor, ac triumpho; & eo magis, quo minus meritis id mihi accidere sentio. Plurima tu de me scribis, perhonorifica illa quidem, sed quæ tibi, eisq;, qui hanc de me opinionem concitarunt ob humanitatẽ, probitatemq; vestram, plus conferant dignitatis, quam mihi ob aliquam virtutis speciem, laudis, atque existimationis. Equidem, si in ea Ciuitate me natum inficier, in qua nullius egregiæ virtutis exemplum desideratur, sed omnia opportuna ad virtutem adipiscendam satis abunde

suppetunt,

ſuppetunt, profectò mentiar. fama enim illuſtrium virorum, qui nobis domeſtica virtutis præbent exempla, id minime pateretur. habemus igitur, quos imitemur; verumtamen, quo plus a natura accepimus, eo maiores virtuti debentur vſuræ. qua in re quam turpe ſit fidem fallere, illinc deprehendere licet; quod ſi hominem rationis participem, ratione tamen nunquam vti videremus, aut oculos, ac manus habentem non ſecus ſe gerere, ac ſi oculis, manibusue careret, plane haud riſum contineremus. quare, mi Sauli, dum ſubijcis me Patriam habere Florentiam, illud in mentem reuocatum intelligo, neceßitatem mihi impoſitam eſſe amplectendæ virtutis, & omni ope, & ſtudio colendæ. quod ſi vel ea præſtitiſſem, quæ tu de me præclara ſentire videris, nequaquam plus debito præſtitiſſem; ſed hæc ne ſpe quidem, ne dum re ipſa conſequi poſſumus. non eſt enim vulgaris hominis in ea facultate excellere, quæ ſit omnium præſtantiſſima, & quantum voluptatis, & gloriæ, tantum habeat laboris, ac difficultatis; quæque præ cæteris artibus plurimum ingenij in rebus inueniendis, doctrinæ in dicendis, iudicij in diiudicandis requirat. quibus omnibus cum ego ſim deſtitutus, quid laudis in pangendis carminibus potui promereri? accedit eo, quod fere omnia huius generis eo potiſſimum tempore a me profecta ſunt, quo vires ingenij nondum per ætatem ſatis firmæ, quinimo imbecilles haud quidquam niſi tenue,

nue,

nue, & exile ferebant. cum vero per annos solidiores, ac validiores facta fortasse quidpiam edidissent omnino non insuaue; diuersa studiorum ratio alio mentem distraxit. Nam, ex quo tempore ad iurisprudentiam me contuli, ita a musis sum alienus, ut quasi a Poetarum lectione uidear destitisse. Strozza unus superest, cuius ego scripta euoluam, ne, si quid alias labore, & studio in hoc genere scribendi profecimus, longa intermißione prorsus ex animo dilabatur, sed huius facundißimi Poetæ usu potius confirmetur. at qui liber? de quo illud affirmare non dubitauerim, eos qui in conscribendis carminibus nostro sermone operam ponunt, seu maiorem, seu parem fructum ex nemine Poetarum petere posse. Tu, si quanta etruscæ linguæ uenustas, ac suauitas sit, quantaue humanæ mentis industria dignoscere cupis, hunc legas; hanc in uerbis, illā in rebus admiraberis singularem. cū igitur ego iampridē mansuetioribus musis salutem dixerim, nihil huiusmodi habeo noui, quod ad te mittam. uerumtamē, ut quocunq; modo uoluntati tuæ satisfacerem, nonnulla ex ueteri penu deprompsi magis consulens necessitudini nostræ, quam meæ existimationi. Tu, si me amas, quæcunque ab homine officijs tuis, & amori obnoxio exspectare soles, ea tibi a me præsto esse credideris. Vale, atque Etrusco Pindaro, Chiabreræ inquam (hoc nomine clarissimū uirum appello) meis uerbis sal. pl. Floren. Pridie. Kal. Nou. CIↃ. IↃ. XCIIII.

LE-

LEANDRO INVREAE. SILVESTRI FILIO.

VERE *loquar, mi Leander; si, dum ex urbanis molestijs, ac laboribus in istis pulcherrimis uillulis conquiescis, te mei oblitum esse mihi persuaderem, ac de tua erga me beneuolentia dubitarem, summo quidem dolore afficerer, & me a te disiunctum esse, tuo congressu, tuoq; sermone priuari, ægre ferrem. Verum, cum certo sciam te talem absentem esse, qualis præsens eras, memorẽ scilicet mei; te istic esse, tantum abest, vt doleam, vt etiam summe gratuler. Equidem cum ad amicitias, honores, & dignitates, quibus Ciuitas abundat, animum refero, & hæc omnia plena esse insidijs, plena timoribus, plena molestijs animaduerto, cumq; præterea considero plerosq; esse, qui in Ciuitate ambitionis, ciuiliumq; negociorum fluctibus ita iactantur, vt omnem animi tranquillitatem penitus amiserint; facere non possum, quin te maxime laudem, qui multam salutem negocijs dixeris, ac te in ista solitudine, tanquã in tranquillissimo portu contineas. Præclarum quidem vitæ genus complexus es, in quo neque temeritas, neque casus dominatur, & quod mihi totum in ratione, & prudentia, totum in præclaris actionibus positum esse videtur. nec in ista solitudine tu mihi solus esse videris.*

Habes.

Habes enim libros tecum, quibus poßis vere loquentibus aures facile dedere, amicissime admonentibus pro tua prudentia facillime parere. Et, vt libros omittam, Siluestrum habes patrem tuum, summum virum, qui te suis præceptis instituat, disciplina erudiat, doctrina perpoliat, vt nullius præterea consuetudinem, nullius familiaritatem, aut vocem admodum iam desideres. Cui quidem, enitendum est, vt te quam simillimum præbeas. quod profecto efficies, si in eius vitam intueberis, si eius mores, instituta, ac studia contemplaberis. tibi contigit, domi vt habeas, vnde discas, alijs fortasse non item. sic enim existimo nihil esse, quod ad laudem, gloriamq; pertineat, quod non tibi in mentem veniat, atque ob oculos assidue versetur; nihilque esse, quod consequi aut prudentia homines, aut doctrina poßint, quod tibi non sine cuiusquam voce, aut præceptis, intra domesticos parietes abunde suppetat. te merito igitur felicem, atque beatum existimo. quod si est, qui ab omni prorsus ambitione, rerumq; vrbanarũ cura remotus sit, qui in litterarum studijs omnes curas, cogitationesq; fixerit, ex quo nec honoris spes, nec periculi metus eum valde commoueat; idemq; si nihil præter honestum otium, ac tranquillitatem curet, nulla afficiatur molestia, quid est, cur is non felix, beatusq; sit? vide, mi Leander, quot bona, quot commoda, quantas vtilitates tua tibi suppeditat Albaria villa. idem tu, modo

ne

ne ingratus esse velis, magnam ipsi bene merenti gratiam referas, necesse est. Orna igitur eam, quantum potes, & , quod adhuc semper fecisti, vrbanæ commorationi longe antepone. nihil isto loco quietius, nihil iucundius, nihil amœnius, siue otium ad studia, tranquillitatem ad animum, salubritatem ad valetudinem quæras. O, si occupationibus me expedirem, quibus impedior, & in ista amœnitate tecum esse, ac viuere possem, me felicem, me fortunatum! mihi crede, non minus tuguriorum paupertate, quam regiarum ædium magnificentia delectarer; non minus volucrum, & pastoricijs fistulis, quã musicorum cantibus aures meæ tenerentur; non minori taurorum, quam gladiatorum certamina, lætitia spectarem. Alij auctoritate valeant, honoribus floreant, diuitijs abundent, suis denique ciuibus carissimi sint: ego istius vitæ tranquillitatem omnibus omnium Regum opibus, atque honoribus facile anteponerem. quippe tua in primis fruerer iucundissima consuetudine, & suauissimis, doctissimisq; sermonibus tuis interessem. quanquam me non omnino a te abesse velim scias. sæpe enim me tecũ animo coniungo, te mihi ante oculos constituo, modo sub platano vmbrifera nimios solis ardores vitantem, modo prope ripam murmurantis fluminis placide dormientem, modo in littore maris delectatione maxima deambulantem. absens tecum sum, tecum loquor: & siue

se, sed testificandi amoris in te mei, velim existimes: cui enim ceteris rebus respondere non possum; amore certe respondebo. extremum illud est, vt te orem, & obsecrem, quando in me sic animatus es; hanc tuam vt conserues in me voluntatem; tibiq; persuadeas, nullum me vnquam, aut studij, aut officij genus, quod ad te honestandum pertineat, prætermissurum; ita vt, te beneuolentiam meam tanti fecisse, atque expetisse, nunquam pæniteat. quorum alterum de me, vt tibi polliceri possum; alterum a te vt expectem, tua singularis facit humanitas. Vale. Ex Cora. Idib. Maij. CIↃ.IↃ.XCIII.

ALEXANDRO SERTINIO.

Florentiam.

PVDORE *quodam factum est meo, Alexander Sertini, vt prius meam erga te beneuolentiam tibi non declararim. verebar enim, ne parum modesti hominis esset eum litteris appellare, qui me ne de facie quidem, ne dum e sermone vnquam nosset, & qui totus in litteris, vt audieram de multis, abditus esset. Verumtamen, cum te singulari humanitate præditum esse intellexerim, & arbitratus sim tibi pro tua prudentia esse compertissimum, tantam vim virtutis esse, vt vel absentes coniungat, ac inter eos amorem conciliet, omni pudore deposito, hanc ad te, tanquam pignus obseruantiæ in*

te

te meæ, epiſtolam mittere volui. multas habeo cauſſas, mi Sertini, cur te præter ceteros obſeruem, ac diligam. nam & in Ciuitate omnium florentiſſima natus es, & in litteris ita verſaris, vt poetica facultate excellas. addo illud: teſtes habeo multa mihi de tuis præclaris virtutibus quotidie prædicantes, homines ita probos, ita prudentes, vt nec ipſi errare poßint, nec alios errare patiantur. Non enim beneuolentia mea mediocris eſt erga Ciuitatem hanc veſtram, quæ & omnium bonarum artium hodie veluti officina quædam habetur, & litteratos homines omni officiorũ genere amplectitur, vt nemo eorum ita immemor, aut ingratus eſſet, qui non omnes res, quæ ad eius amplitudinem, & gloriam pertinent, libenter faceret. Eſt enim huius veſtræ Ciuitatis laus quædam, & gloria florere ſtudijs, & artibus, atque in omni genere laudis ceteris antecellere. quis eſt.n. qui hoc ignoret, niſi vrbs Florentia tot viros illuſtres omni tempore peperiſſet, ac pareret, futurum fuiſſe, vt aut præclaræ omnes artes iam exſtinctæ eſſent, aut breui exſtinguerentur? celebrantur veſtri Poetæ, laudantur hiſtorici, commendantur pictores. nihil eſt laudabile, nihil egregium, in quo non Florentinorum ingenia plurimum ſemper excelluerint. alios prætcribo (ſunt enim complures) Ioannẽ vero Caſam tacitus nullo modo præterire queo. Poſſem ne eum ipſum non laudare, quem quidem poſt Franciſcum Petrarcham Poetam ſum-

D mum,

mum, vere Poetam appellare possumus? qui tanquam clarissimum lumen Ciuitatem istam illustrat? istius quidē viri præclara monumenta ita per Italiam omniū voce, & scriptis celebrantur, vt eius vnius tum doctrina, tum ingenio Vrbs Florentia pæne illustrior sit, quam multorum bellicis insignibus, & ornamentis. Hic mihi in delicijs est, hunc ego sæpe in manibus habeo, ac nemini concedo, qui maiorem ex illius præclarissimis scriptis voluptatem capiat. Non enim ijs assentior, qui minorem gloriæ fructum ex Poetis etruscis, quam ex latinis, aut græcis percipi putant. errant, mea quidem sententia, qui ita sentiunt. ac ipsi de suo consilio viderint. Ego Poesim etruscam vehementer amo, atque colo, meq; tum Francisci Petrarchæ, qui vnus ad summam Poesis gloriam peruenit, tum aliorum, qui ad eum propius accesserunt, Poemata delectant, cum nec splendor in verbis, nec in sententijs grauitas, nec iucunditas in numeris desideretur: cum multos habeant lepores, & multis tum ingenij, tum doctrinæ luminibus distincta sint. Pauci vero sunt, mi Alexander, & in hoc ipso paucorum numero tu merito habendus es, qui hac nostra tempestate Poetæ nomen assecuti sint. eorum autem, qui inanes versus pangant, infinita est multitudo. quamobrem in tanta bonorū Poetarum pænuria te iure admiror, & colo; & quo maior est tui similium inopia, eo tu mihi maiori quadam obseruantia, ac vene-

ratione

ratione complectendus videris. contigit enim tibi, vt audio, quod paucis contigisse video, vt sententiarum grauitatem cum suauitate sermonis coniungeres, quarum altera prosis, altera vero delectes. Hæc sunt illa præclara, quæ in te magnopere laudo, quæq; in amorem tui me ita pellexerunt, vt teneri non potuerim, quin ad te scripserim. Non.n. diuitijs, aut opibus, aut dignitatibus homines distinguere soleo, sed doctrina, ingenio, & probitate. Nam, quod aliquis diuitijs affluat, honoribus abundet, nobilitate floreat, cum hæc omnia illi cum multis communia sint, non eum magnopere laudandum existimo; quod autem ingenio excellat, litteris præstet, pietatem colat, cum hæc vere sua propria dicere possit, eum omni laude dignissimum duco. incredibile igitur est, quantopere amicitiam tuam consequi cupiam, ac, vt tua mihi scripta mittas, desiderem. quod cum ita sit, maximum beneficium te mihi dedisse putabo, si voluntati meæ satisfeceris. Vale. Kal. Octob. CIϽ. IϽ. XCIIII.

IO. NICOLAO SAVLIO CARREGAE, ALEXANDER, SERTINIVS. S.

AIN' tu, pudore quodam tuo factum esse, ne prius ad me litteras dares, veritus immodesti hominis notam? te ne pudeat beneficia in eum conferre, quem tua exi-

mia virtus, ac singularis humanitas tibi deditissimum, tuiq; amantißimum polliceatur? quid? aduerso potius meo fato dixeris; cum ipse iure optimo dolere poßim honestissimo fructu voluptatis, & gloriæ diutius caruisse, quem maximum ex suauissimis litteris tuis percepi. Etenim, quod plurimi facias Vrbem Florentiam, eius sermonem probes, Poetas legas, ac poetica facultate summopere delecteris, iucundissimum sane fuit; non enim mediocriter animus oblectatur, si earum rerum ceteros studio teneri intelligamus, quibus ipsi addicimur aut natura, aut industria. quod autem beneuolentia me prosequaris, quæ tua est humanitas, colas, in tuis habeas, laudibus ornes, id certe non modo iucundum, verũ & gloriosum. Est enim hoc tuæ virtutis præclarum, vt, quos amore tibi coniunxeris, magna ijs accessio fiat honoris, & dignitatis. quare hac tua in me animi propensione nuper litteris declarata maiorem in modum lætor, ac triumpho; & eo magis, quo minus meritis id mihi accidere sentio. Plurima tu de me scribis, perhonorifica illa quidem, sed quæ tibi, eisq;, qui hanc de me opinionem concitarunt ob humanitatẽ, probitatemq; vestram, plus conferant dignitatis, quam mihi ob aliquam virtutis speciem, laudis, atque existimationis. Equidem, si in ea Ciuitate me natum inficier, in qua nullius egregiæ virtutis exemplum desideratur, sed omnia opportuna ad virtutem adipiscendam satis abunde suppetunt,

ſuppetunt, profecto mentiar. fama enim illuſtrium viborum, qui nobis domeſtica virtutis præbent exempla, id minime pateretur. habemus igitur, quos imitemur; veruntamen, quo plus a natura accepimus, eo maiores virtuti debentur vſuræ. qua in re quam turpe ſit fidem fallere, illinc deprehendere licet; quod ſi hominem rationis participem, ratione tamen nunquam vti videremus, aut oculos, ac manus habentem non ſecus ſe gerere, ac ſi oculis, manibusue careret, plane haud riſum contineremus. quare, mi Sauli, dum ſubijcis me Patriam habere Florentiam, illud in mentem reuocatum intelligo, neceßitatem mihi impoſitam eſſe amplectendæ virtutis, & omni ope, & ſtudio colendæ. quod ſi vel ea præſtitiſſem, quæ tu de me præclara ſentire videris, nequaquam plus debito præſtitiſſem; ſed hæc ne ſpe quidem, ne dum re ipſa conſequi poſſumus. non eſt enim vulgaris hominis in ea facultate excellere, quæ ſit omnium præſtantiſſima, & quantum voluptatis, & gloriæ, tantum habeat laboris, ac difficultatis; quæque præ cæteris artibus plurimum ingenij in rebus inueniendis, doctrinæ in dicendis, iudicij in diiudicandis requirat. quibus omnibus cum ego ſim deſtitutus, quid laudis in pangendis carminibus potui promereri? accedit eo, quod fere omnia huius generis eo potiſſimum tempore a me profecta ſunt, quo vires ingenij nondum per ætatem ſatis firmæ, quinimo imbecilles haud quidquam niſi tenue,

nue, & exile ferebant. cum vero per annos solidiores, ac validiores factæ fortasse quidpiam edidissent omnino non insuaue; diuersa studiorum ratio alio mentem distraxit. Nam, ex quo tempore ad iurisprudentiam me contuli, ita a musis sum alienus, vt quasi a Poetarum lectione uidear destitisse. Strozza vnus superest, cuius ego scripta euoluam, ne, si quid alias labore, & studio in hoc genere scribendi profecimus, longa intermißione prorsus ex animo dilabatur, sed huius facundißimi Poetæ usu potius confirmetur. at qui liber? de quo illud affirmare non dubitauerim, eos qui in conscribendis carminibus nostro sermone operam ponunt, seu maiorem, seu parem fructum ex nemine Poetarum petere posse. Tu, si quanta etruscæ linguæ uenustas, ac suauitas sit, quantaue humanæ mentis industria dignoscere cupis, hunc legas; hanc in uerbis, illā in rebus admiraberis singularem. cū igitur ego iampridē mansuetioribus musis salutem dixerim, nihil huiusmodi habeo noui, quod ad te mittam. uerumtamē, ut quocunq; modo uoluntati tuæ satisfacerem, nonnulla ex ueteri penu deprompsi magis consulens necessitudini nostræ, quam meæ existimationi. Tu, si me amas, quæcunque ab homine officijs tuis, & amori obnoxio exspectare soles, ea tibi a me præsto esse credideris. Vale, atque Etrusco Pindaro, Chiabreræ inquam (hoc nomine clarissimū uirum appello) meis uerbis sal. pl. Floren. Pridie. Kal. Nou. CIↃ. IↃ. XCIIII.

LE-

LEANDRO INVREAE.

SILVESTRI FILIO.

VERE *loquar, mi Leander; si, dum ex urbanis molestijs, ac laboribus in istis pulcherrimis uillulis conquiescis, te mei oblitum esse mihi persuaderem, ac de tua erga me beneuolentia dubitarem, summo quidem dolore afficerer, & me a te disiunctum esse, tuo congressu, tuoq; sermone priuari, ægre ferrem. Verum, cum certo sciam te talem absentem esse, qualis præsens eras, memorē scilicet mei; te istic esse, tantum abest, vt doleam, vt etiam summe gratuler. Equidem cum ad amicitias, honores, & dignitates, quibus Ciuitas abundat, animum refero, & hæc omnia plena esse insidijs, plena timoribus, plena molestijs animaduerto, cumq; præterea considero plærosq; esse, qui in Ciuitate ambitionis, ciuiliumq; negociorum fluctibus ita iactantur, vt omnem animi tranquillitatem penitus amiserint; facere non possum, quin te maxime laudem, qui multam salutem negocijs dixeris, ac te in ista solitudine, tanquā in tranquillissimo portu contineas. Præclarum quidem vitæ genus complexus es, in quo neque temeritas, neque casus dominatur, & quod mihi totum in ratione, & prudentia, totum in præclaris actionibus positum esse videtur. nec in ista solitudine tu mihi solus esse videris. Habes.*

ne ingratus esse velis, magnam ipsi bene merenti gratiam referas, necesse est. Orna igitur eam, quantum potes, &, quod adhuc semper fecisti, vrbanæ commorationi longe antepone. nihil isto loco quietius, nihil iucundius, nihil amœnius, siue otium ad studia, tranquillitatem ad animum, salubritatem ad valetudinem quæras. O, si occupationibus me expedirem, quibus impedior, & in ista amœnitate tecum esse, ac viuere possem, me felicem, me fortunatum! mihi crede, non minus tuguriorum paupertate, quam regiarum ædium magnificentia delectarer; non minus volucrum, & pastoriciјs fistulis, quã musicorum cantibus aures meæ tenerentur; non minori taurorum, quam gladiatorum certamina, lætitia spectarem. Aliј auctoritate valeant, honoribus floreant, diuitiјs abundent, suis denique ciuibus carissimi sint: ego istius vitæ tranquillitatem omnibus omnium Regum opibus, atque honoribus facile anteponerem. quippe tua in primis fruerer iucundissima consuetudine, & suauissimis, doctissimisq́ sermonibus tuis interessem. quanquam me non omnino a te abesse velim scias. sæpe enim me tecũ animo coniungo, te mihi ante oculos constituo, modo sub platano vmbrifera nimios solis ardores vitantem, modo prope ripam murmurantis fluminis placide dormientem, modo in littore maris delectatione maxima deambulantem. absens tecum sum, tecum loquor: & siue

hamo pisces capias, siue auibus insidias pares, siue feras canibus agites, eisdem fere voluptatibus tecum perfruor. has ego exercitationes non improbo, moderatæ modo sint; immo nobili sane viro dignissimas existimo. nec impediunt, quominus in philosophia, & eloquentia, aut in historia, qua te magis delectari video, multas tibi diei horas consumere liceat. quæ quidem historia næ magni æstimanda est; si quidem ex vniuerso litterarum genere hæc vna maximam habet dignitatem, maximum fructum affert, mirabilem præbet vtilitatem. facile, cum historiam legimus, quid diuersis temporibus acciderit, vno eodemq; tempore intelligimus; veritatem omni luce clariorem perspicimus; res innumerabiles memoria comprehendimus; actiones omnes nostras recte disponimus; totius antiquitatis cognitionem percipimus. In historia prudentium consilia, fortium facta, sapientium dicta commemorantur. Perge tenere istam viam, quam maiores tui tibi tritam reliquerunt; sic facile ad æternum decus, ad immortalitatem peruenies. vere auguror, nec mea me fallet opinio. nam, quo die primum tecum locutus sum, & ad amicitiam tuam me contuli; eo ipso die in te specimen quoddam futuræ virtutis animaduerti: vt minime dubitem, quin hanc opinionem, auguriumq; de te meum laudabili exitu breui sis comprobaturus. Vale. Genua. x. Kal. Septemb.
CIↃ.IↃ.XCIIII.

MVL-

MVLTVM REVER. AC RELIGIOSO PATRI, AVGVSTINO MAINERIO, CLERICO REGVLARI.

MAGISTER *ille omnium sapientißimus nostræ salutis auctor Christus, Augustine Pater religiosißime, qui, ut humano generi consuleret, e cælo delapsus nostram induit mortalitatem, ac inter nos versari voluit; plurima nobis sane præcepta tradidit, quibus vitam omnem nostram recte institueremus: sed ex ijs omnibus nihil nos magis edocuisse videtur, quam errantibus viam salutis ostendere, homines singulari charitate amplecti, & saluberrimis documẽtis prodesse quamplurimis. quæ quidem omnia ipse prius, quam alijs tradiderit, vita, atque factis expreßit, vt eius auctoritate, atque exemplo vnusquisque in ijs rebus ardentiori studio se exerceret, & præclaras illas admonitiones re magis quam verbis, sequeretur. Hoc tu scilicet pro tua prudentia illo primum animaduertisti die, quo te sacris addixisti, & vitam tranquillam turbulentæ, tutam periculosæ, beatam miseræ prætulisti. neq; vero animaduertisti solum, quod alij quamplurimi fecerunt; sed etiam, in quo summum illum præceptorem imitaris, ita diligenter præstitisti, & præstas; vt nemo iam æqualium tuorum, mea quidem sen-*

Deus immortalis, humanitate, ac benignitate, quanta non modo beneuolentia, verum etiam pietate me afflictum erexisti? Vt tranquillo iam animo, & spe maxima confirmatus me totum tibi tradiderim, & præceptis, institutisq; tuis meam niti salutem cognouerim. dixisti nobis de illa perpetua iam, non de hac exigua vita esse cogitandum; in vno Deo omnia esse ponenda, ceteraq; inania esse ostendisti; nihil esse cum æterna salute conferendum; omnibus, qui Deum dilexerint, coluerint, timuerint, amplißima esse in cælo præmia constituta. Hæc omnia mihi in animo hærent, hisce ego delector, hisce tanquam suauißimo, ac iucundißimo pabulo pascor. quis porro a veritatis luce aberrans in tenebris erroris, atque inscitiæ ita misere versetur, qui hæc vera, & vtilia sibi maxime non arbitretur? quis aut ita langueat, aut ita frigeat, qui ad studium summi boni non excitetur, & perpetuæ felicitatis amore non inflammetur, dum illa præclara secum ipse meditatur? sunt quasi semina quædam salutaris disciplinæ, quæ in animis hominum quotidie spargis; quæ quidem postea huiusmodi fructus ferunt, vt eis nihil poßit esse præstantius. Equidem ego hæc humana iam contemnere incipio, etsi ea antea stulte quidem tantopere admirabar: iam te ducem sequor, te, inquam, qui certissimo cursu, diuinæ gratiæ aura prosequente, illam cælestem patriam petis. Valeant, qui tam immoderate

te

te honores sitiunt, diuitias appetunt, & voluptates sequuntur; si quidem hæc omnia consecuti, tantum abest, vt acquiescant, & meliores fiant, vt etiam semper aliquid cupiant, & deteriores efficiantur. quid mirum igitur, si te omnes vnice diligunt, & tuam consuetudinem exoptant? si ad te accedunt quamplurimi timore perterriti, auxilio destituti, consilio egentes? multa enim habes, quæ beneuolentiam concilient, & suum vnicuique malo proprium, ac certum remedium adhibes. inclinantes erigis, vacillantes confirmas, errantes reuocas, afflictos recreas. Per te alij vitæ integritatem, & innocentiam, alij in Deum pietatem, ac religionis cultum a Deo obtinent; vt nemo fere iam sit, qui maxima a te non habeat beneficia. ego equidem, quod e perturbationibus emerserim, quod maxima tranquillitate fruar, quod animum ad cælestium bonorum contemplationem transtulerim, quod denique ipse mihi, & Deo potissimum viuam, tibi acceptum refero. pro quibus omnibus si mea mihi imbecillitas referendæ gratiæ potestatem adimit, prædicandæ certe, atque habendæ non adimet. Vale. Ex ædibus nostris. XI. *Kal. August.* CIↃ.IↃ.XCIIII.

ALE-

ALEXANDRO PAGIO.
HIERONYMI FILIO.
Pisas.

ETSI *is ego sum, optime Pagi, qui ab amicis non plus, quam quantum ipsi velint, postulare unquam soleam: verumtamen, si aliquando in amicitia illi mihi peccare videntur, facere non possum, quin ea ex re maxima afficiar molestia, ipsosq; amicissime admoneam, ut erratum suum agnoscere velint. Quod cum ita sit, illud pergrauiter fero, adduci potuisse te, qui mihi amicissimus semper fuisti, ut mecum de tua decessione minime communicares, & asperius, quam tui patiantur mores, mecum ageres. mihi itaque non alienum ab instituto meo visum est hanc ipsam ob caussam ad te litteras dare, & veritatem exquirere, nunquid amicitiæ nostræ obliuione hoc feceris, & ab ea humanitate, quæ in tuis verbis agnoscebatur, quæq; in tuo etiam vultu elucebat, fortasse desciueris. neque mehercule hoc ad te scribendi munus a me susceptum est ad reprehensionem (quin etiam maxime laudandus es, quod adolescens adhuc, & prorsus imberbis tanta prudentia præditus sis, ut nihil temere, nihil imprudenter agas) sed magis ad tranquillitatem animi*

mi

FABIO PAVLINO,
Venetias.

MIHI *in dubium venit, doloris ne plus, an voluptatis, ex Reuerendiss. & Illustriss. Ioannis Grimani Patriarchæ Aquileiensis grauissima morte accipiendum sit. nobis quidem dolendum est, quod talem, & tantum virum amiserimus, in quo magna ex parte vniuersæ Ecclesiæ salus, & dignitas nitebatur: qui, quam diu vixerit, optimarum artium præsidium, & ornamentum fuerit: qui denique auctoritate, & exemplo omnes non modo, qui præsentes eius vitam intuebantur, sed etiam qui absentes eiusdem merita summis laudibus efferri audiebant, ad verum decus maxime excitauerit. Sed non minus lætandum, quod ille ex ijs tenebris eductus, quibus hominum vita obscuratur, in illa sempiterna luce sit collocatus, vbi Summi Dei, cælestiumq; animorum conspectu fruatur, vbi denique magnorum laborum, quos propter Ecclesiæ salutem sustinuit, nunc tandem maximos capiat fructus. quæ quidem omnia tu ita aperte, ita grauiter explicasti; vt nullum fere sit laudationis, vel ornamenti genus, quo tua in eius funere vacauerit oratio. quamobrem illum lætari summopere arbitror, quod te maximum laudum suarum præconem inuenerit, cuius opera factum est, vt is omnium*

mortalium fama post mortem celebretur. quod autem orationem ipsam ad me misisti, pergratum te mihi fecisse, & me nihil iamdiu libentius legisse existimes velim. nam mihi electis verbis, sententijsq; plena, maxima tum grauitate, tum etiam suauitate visa est. Video tragœdiam tibi nondum redditam esse, nec vlla mihi relinquitur spes fore, vt illa tibi reddatur. Sed ille, cui commiseram, non tam est reprehendendus, quod promissa non præstiterit, quam laudandus, quod fortasse occupationum tuarum rationem habuerit. mihi voluntas, & beneuolentia in me tua satis explorata est. Vale. Genua XII. Kal. *Decem.* CIↃ.IↃ.XCIII.

ANTONIO MARIÆ SPELTÆ,

Ticinum.

QVOD *me longo dierum interuallo tam artificioso epigrammate salutasti, vt præcipue te mei non esse oblitum intelligerem, tibi gratias ago. in hoc enim agnosco amorem tuum prope singularem. Nam, nisi me non vulgariter amares, tale profecto munus non misisses. equidem doleo, quod tibi respondere officijs minime possim; sed si hoc non licet, studio tamen, & obseruantia aliqua ex parte satisfaciam. Plus quidem artificij hoc epigramma, quam quæ iamdudum ad me misisti, habere videtur. itaque illud libenter legi. in hoc poesis*

genere

genere ita excellis, vt non modo neminem tecum conferam, verum etiam te omnibus anteponam. Sed cum laudi, & dignitati tuæ maxime studeam, facere non possum, quin ad grauiora te studia horter. aliquid enim maius a te homines postulant, quibus satisfacere te posse, & velle scio, & vt velis, auctor sum. quin præclarum illud opus de Papiensibus Episcopis a te iam nuper institutum perpolis, atque conficis? quin tandem desiderium nostrum, quasi diuturnam sitim exples? mihi crede, optime Spelta, si hoc facies, & vtilitati nostræ, & gloriæ tuæ maxime consules. Hanc, si forte minus de ea sollicitus es, quam vellem amplecterere, quam vellem omnibus rebus anteponeres. nihil est enim gloria admirabilius, nihil dulcius, nihil optabilius. Hæc igtur pro meo in te maximo amore, maximaq; obseruantia. velim enim putes me esse vnum, qui in te amando omnibus antecello; me esse vnum, qui nisi te colerem, atque obseruarem, grauiter peccare mihi viderer. Vale. Genua. prid. Non. Nouemb.

IOANNI ANDREÆ CEVÆ, Romam.

POST *sex menses, eoq; amplius, Ioannes Andrea Ceua, duabus de caussis has ad te litteras dare constitui: quarum est altera, quod operam mihi tuam vt*

præstes, nunc opus est; altera ne, intermisso litterarum officio, amicitia nostra paullatim dissuatur. nam, etsi illam huiusmodi niti fundamentis arbitror, ut firmam, ac perpetuam fore confidam: tamen, ut sunt omnes, qui amant, solliciti, atque anxij, cogor non nunquam timere, ac multa cogitare, quæ si vera essent, in maximo quidem dolore, atque molestia versarer. Sed ea falsa esse iam ex tuis litteris cognoscam. scio enim te magnopere amicitiæ constantia delectari, ac maxime laborare, quomodo eum perpetuo ames, quem semel amandum suscepisti. nunc audi, quod abs te velim. scis, Ioannes Andrea, me non modo illorum veterum, sed horum recentiorum poetarum lectione mirifice delectari. Equidem, cum Marco Antonio Flaminio non possim non primas concedere, tantã ex illius scriptis voluptatem capio, ut vel eius carminum libellum, quam aliorum longa poemata malim. Sed hanc mihi voluptatem nescio quis aspersit molestia, cum diceret nonnulla ex illius scriptis Ecclesiam non probare, legiq; prohibuisse. quamobrem, cum scire cupiam an ne Flaminij opera tuto legi possint; velim, inquam, quando tu apud Amplissimum Sanctæ Seuerinæ Cardinalem vnum e supremis Inquisitoribus plurimum & auctoritate vales, & gratia, ut ad me, quomodo res se habeat, diligenter perscribas, & eum librorum indicem mittas, quem proxime factum esse intelligo. Non enim salu-

ſalutem meam ita negligo, vt Eccleſiæ decreta contemnam, libros heretica prauitate infectos legere audeam, ac ea voluptate, qua legendo affici ſoleo, me priuari ægre feram. nam ſi illud verum eſt, valeat Flaminius, nec mihi poſthac in amoribus, ac delicijs ſit. an poteſt vlla eſſe voluptas maiorum inſtituta contemnenti, a Sanctiſſimis Eccleſiæ legibus diſcedenti? ego equidem eam eſſe voluptatem in animum induxi maximam, quam maxime Eccleſiæ præceptis, inſtitutisq; parere. in hoc igitur meo negocio ea velim præſtes, quæ maxima in te eſſe cognoui, induſtriam, & diligentiam. alium enim, qui mihi cumulatius hac in re ſatisfacere poſſit, iſtic habeo neminem. Et cum his litteris reſponderis, adde verbum, ſi me amas, de Aldo Manutio, cuius mihi beneuolentiam vt conſerues, magnopere cupio. mea enim erga illum mediocris non eſt. dices fortaſſe, quia te Paulli patris ſcripta valde delectant. hoc quidem mehercule verum eſt; ſed tamen etiam, antequam Paulli patris ſcripta vidiſſem, Aldi filij tum doctrinam, tum eloquentiam maxime admirabar, ipſumq; maxime diligebam. ſed quid eſt, quæſo, quod ille meis litteris nunquam reſponderit? eſt ergo vlla res tanti, vt iſtius tam debiti officij partes prætermittat? ſane vt valeat, quid agat, ſcire vehementer cupio. etiamq; velim, vt carmina quædam ab eo efflagites, quibus Paullus eius pater miſerabilem Iacobi Bonfa-

dij

dij obitum deflet, ac ea mihi quamprimum perferenda cures. ego nunc si quid de me, studijsq; meis scire cupis, optima fruor valetudine, & ad legendum, aut scribendum aliquando me confero. verumtamen non perinde, vt solebam, in optimarum artium cupiditate uersor, sed quotidie magis langueo, ita ut studiorum satietas interdum me capiat. Otium, & animi tranquillitatem studia requirunt; ego occupationibus premor assiduis, maximisq; perturbationibus agitor. præterea mihi non numquam hæc studia inania uidentur, illa autem esse uera, quæ æternam pariunt salutem. a te post illas, quas ad me cum amplissimi Cardinalis tui commendatitia epistola misisti, nullas litteras accepi. quid agas, & ut iucunde uiuas, scire uelim; maximeq; quibus te litterarum studijs oblectes. omni cura incumbe, ut ualetudini tuæ seruias; & quamquam absentes sumus, nos litteris tamen posse coniungi existimes. Vale. Genua Nonis Ian. CIↃ. IↃ. XCV.

ADMOD. REVER. P. IOANNI PETRO MAFFEO.

Mediolanum.

SVPERIORIBVS *diebus, Ioannes Petre Maffee, uolumen quoddam epistolarum in manibus habui,*

in

in quo cum multæ clarorum virorum, tum nonnullæ erant a te non minus eleganter, quam sapienter scriptæ. quas cum sæpe, ac sæpius perlegissem, admiratus orationis grauitatem, & elegantiam tanta tui videndi, & cognoscendi cupiditate incensus sum, vt, quoniam id, qua ratione euenire posset, non intelligebam, cum te iam hæc humana reliquisse existimarem, vitam mihi iniucundam putarem. Illos quidem ex nobilitate nostra omni laude dignissimos viros, quod te olim potissimum delegerint, qui studijs suis consuleres, quod honorifice te Genuam accersierint, ac summa beneuolentia, & humanitate exceperint, id & sapienter considerasse, & considerate fecisse existimabam. felices eos fuisse statuebam, qui tibi noti, familiaresq; fuerint, ac tuam singularem doctrinam, & incredibilem eloquentiam præsentes degustauerint. feliciores autem, qui tecum familiariter vixerint, & præceptis, institutisq; tuis, tanquam recte viuendi norma, actiones suas formauerint. In summo tamen dolore, quem ex desiderio tui capiebam, hæc inerat consolatio, quod, & tuis legendis, & peruolutandis scriptis, vt illud aliqua saltem ex parte lenirem, futurum sperabam. hæc cogitanti illud profecto accidit, quo nihil mihi gratius, aut iucundius accidere poterat. cognoui enim ex Bernardo Ferrario viro antiquitatis peritissimo te etiam nunc huius lucis usura perfrui, superiore æstate Genuæ constitisse,

stitisse, & in ædibus Imperialium eo tempore interdum fuisse: nunc uero Mediolani te considere, esse in oculis Clarissimo, atque Excellentissimo viro Iacobo Boncompagno, omnibus charum, omnibus iucundum. quamobrem maxima illico perfusus lætitia sum, ac nihil mihi potius fuit, quam vt ad te scriberem, & meam tibi singularem erga te obseruantiam declararem. Habet hoc virtus, quam tu, cum iam inde ab adolescentia complexus fueris, nunquam postea dimisisti, vt nos in hominum admirationem impellat, & ad eos amandos, atque colendos incendat, quos ne uidimus quidem, nedum allocuti sumus. atque utinam mihi per occupationes liceret Mediolanum excurrere; caperem nõ mediocrem uoluptatem ex tuo iucũdißimo, grauissimoq; aspectu; multas diei horas in tuis doctißimis sermonibus audiendis consumerem; tibi præsens meam in te animi propensionem patefacerem. Verum quando id non licet, quod præsens facerem, quam te magnopere reuerear, quantiq; faciam, per litteras ostendam. Quantas tu debes immortali Deo gratias, doctissime Maffee, qui non modo tibi hanc mentem dederit, vt sacris te addiceres, & in hoc amplissimum Collegium te conferres, uerum etiam tantis te uirtutibus ornauerit, ut illi decori esses, & ornamento. multa prætereo, ne sim longior. illud quidem non tacebo, quod proxime maxima cum admiratione legi. Indiarum scripsisti historiam

riam ita grauiter, ita eleganter, & in eo præclara multorum Patrum facinora pro Christi gloria egregie ita narrasti, vt ad veteres illos proximus accesseris, & istius religiosissimæ societatis nomen per omnes gentes diuulgaueris. Cum vero Beati Ignatij huius collegij, Deo duce, auctoris, & conditoris vitam descripseris, & eam nobis tanquam perfectum aliquod exemplar imitandam proposueris, vix dicam, bone Deus, quam tu ornate, quam copiose eius facta expresseris, quantam in dicendo vim, & eloquentiam ostenderis, quomodo ad studium summi boni nos excitaueris, atque inflammaueris. quamquam, quid opus est ea, quæ litteris mandasti, hoc loco commemorare, cum te ipsum iampridem, & familiam istam illustrauerint, & inter manus doctissimorum virorum quotidie versentur, atq; ab ijs & voce, & scriptis celebrentur? satis tu quidem, quantum & doctrina, & eloquentia præstes, in tuis doctissimis, & elegantissimis scriptis ostendisti; vt nemo fere iam sit, qui ea legerit, qui non aliorum ineptias abijcere velit, & bonas horas, quas antea perdidit in te imitando melius consumere. nemo est ex ijs, qui in rectam illam perfecte scribendi viam se dederit, qui non sibi ad exoptatam eloquentiæ laudem certum iter per te patefactum existimet, ac eo nomine te amet, ac tibi plurimum debere fateatur. ego equidem, qui ita latinæ linguæ studio in-

G census

census sum, vt non dubitem, quin tu, qui de illius dignitate optime sentis, tuis me præceptis, atque consilijs; alij vero, qui in illius nomen temere irrumpunt, maxima reprehensione dignum existiment; dies fere nullus est, quin tua scripta legam, atque ex ijs tanquam ex perennibus, vberrimisq; fontibus ad hanc meam eloquentiæ cupiditatem explendam semper aliquid hauriam. Nunc intelligo te de rebus gestis Greg. XIII. Pont. Max. Iacobi Boncompagni rogatu historiam scribere, quæ cum erit perfecta, sane tum propter res ipsas, tum propter orationis tuæ genus opus egregium fore confido. Perge igitur absoluere ea, quæ instituisti, & quamprimum ea perpolire, quæ iam habes absoluta. tibi certe hanc laudem relinques, te non modo nostros homines eloquentiæ fama anteisse, sed etiam nobis longo interuallo & Cæsares, & Salustios retulisse. quod autem in illius præstantißimi viri familiaritatem veneris, est sane quod gaudeas, & hoc nomine, id quod reliquum est vitæ, tibi iucundißimum esse debet. multæ in eo virtutes enitent, sed hoc vel in primis maxime elucet, quod erga litteratos homines præclare animatus est, illos amanter excipit, atque omni benignitate complectitur. Sed iam de te, tuisq; eximijs virtutibus plura dicere omittam, non tam, vt ne ad te de te ipso scribendo tuas modestißimas aures offendam, quam ne te laudando gratiam tuam me colligere

ligere

ligere velle videar. etsi ea, quæ dixi, ita patent, ita nota sunt omnibus, vt nemo me tanquam falsa loquentem possit reprehendere. tantum igitur a te peto, vt hoc meum scribendi officium in optimam partem accipias, & existimes me, vt scriberem, tum doctrina, & eloquentia tua, tum virtutum tuarum prædicatione esse adductum. quod si voles in me esse durior, ac modestiæ fines me præteriisse existimare; idipsum a me factum esse putabis incredibili desiderio, quo teneor me in amicitias clarissimorum virorum insinuandi. quodcum ita sit, spero fore, vt non modo mihi tui amantissimo ignoscas, sed etiam ad amicitiam tuam aditum libenter patefacias. Ego autem laborabo, ne vlla vnquam in re officium, atque diligentiam meam desideres. in quibus autem opera mea vti velis, ex tua te voluntate statuere facile patior. de qua si certior vnquam fiam, intelliges profecto neminem esse, qui doctrinam tuam pluris faciat, & qui te memoria, atque studio diligentius colat. Vale. Genua. Idib. Martij. CIↃ.IↃ.XCV.

ADMODVM REVER. PATRI IO. PETRO MEDIOLANENSI CARMELITAE.

Astam.

Ex *silentio tuo magnam caperem molestiam, Ioannes Petre humanissime, nisi mihi silentij caussa notissima esset: nam, te tum in studijs tuis, tum in Cœnobij muneribus vehementer occupatum esse, certo scio. Verumtamen ex eodem silentio iure forsitan, ne te mei ceperit obliuio, subuereri possum: siquidem qui vere amat, etiam si valde occupatus sit, nunquam tamen scribendi officium prætermittit; nunquam cursum amoris interrumpi occupationibus patitur. quis me vno occupatior? attamen vides, vt meus est in te amor, me amicitiæ nostræ non immemorem fuisse, & occupationes me impedire non potuisse, quominus ad te scriberem. at ego in amicitia paullo senerior fortasse sum, & amicis plus, quam par sit, duriorem me præbeo. quid? plus ne oneris amicis est imponendum, quam per eorum negotia licet? sui ne muneris, & priuilegij ex virtute orta amicitia omnino expers erit? si ita fieret, nimis esset amicitiæ dura condicio. suo igitur iure vtatur amicitia; errata dissimulet, amicis consulat. silentium itaque tuum in bonam partem accipio, Ioannes Petre,*

& quiduis potius mihi persuadeo, quam quidquam de tua erga me beneuolentia esse detractum. quid? cum iam hoc humanitati tuæ tribueris, ut me amares, te idem constantiæ tribuere velle, ut me amare perseueres, non existimem? hanc certe in me suspicionem residere minime patiar. hoc tamen abs te velim, vt, cum in alijs rebus inferiorem me tibi esse concedam, in amore tamen superiorem esse æquo animo feras. Et, si verum fateri volumus, quid in me est eximium, aut singulare, vt aliorum mihi beneuolentiam conciliem? in quo, ut voluntatem quisquam laudare poßit, qua etiam multi me aut adæquant, aut vincunt; ingenium certe, atque industriam, quæ voluntatem perficere potuit, iure nemo laudabit. In te vero tum ingenij, tum eloquentiæ præclara signa elucent: quæ absens animo sæpe contemplor, cum ea iam antea maxima lætitia propius adspexerim, cum simul philosophiæ operam daremus: ut ex eo tempore singularis tua virtus me tibi valde deuinxerit, ac ego te amore singulari semper amauerim. hic, Ioannes Petre, quamquam vere loquar, nec verebor, ne quis dicat me auribus tuis gratiæ caussa inseruire: tamen, & maiorum tuorum iudicio, quo quid potest esse certius? & omnium consensu, ea, quæ dico, confirmari magnopere gaudeo. Tu .n. cum annum agas vix dum quinctũ, & decimum, qua ætate vix pauci inueniuntur, qui boni discipuli sint, Patrum tuorum

appro-

ADMODVM REVER. PATRI IO. PETRO MEDIOLANENSI CARMELITAE.

Astam.

Ex *silentio tuo magnam caperem molestiam, Ioannes Petre humanißime, nisi mihi silentij caussa notißima esset: nam, te tum in studijs tuis, tum in Cœnobij muneribus vehementer occupatum esse, certo scio. Verumtamen ex eodem silentio iure forsitan, ne te mei ceperit obliuio, subuereri possum: siquidem qui vere amat, etiam si valde occupatus sit, nunquam tamen scribendi officium prætermittit; nunquam cursum amoris interrumpi occupationibus patitur. quis me vno occupatior? attamen vides, vt meus est in te amor, me amicitiæ nostræ non immemorem fuisse, & occupationes me impedire non potuisse, quominus ad te scriberem. at ego in amicitia paullo seuerior fortasse sum, & amicis plus, quam par sit, duriorem me præbeo. quid? plus ne oneris amicis est imponendum, quam per eorum negotia licet? sui ne muneris, & priuilegij ex virtute orta amicitia omnino expers erit? si ita fieret, nimis esset amicitiæ dura condicio. suo igitur iure vtatur amicitia; errata dissimulet, amicis consulat. silentium itaque tuum in bonam partem accipio, Ioannes Petre,*

&

& quiduis potius mihi persuadeo, quam quidquam de tua erga me beneuolentia esse detractum. quid? cum iam hoc humanitati tuæ tribueris, ut me amares, te idem constantiæ tribuere velle, ut me amare perseueres, non existimem? hanc certe in me suspicionem residere minime patiar. hoc tamen abs te velim, vt, cum in alijs rebus inferiorem me tibi esse concedam, in amore tamen superiorem esse æquo animo feras. Et, si verum fateri volumus, quid in me est eximium, aut singulare, vt aliorum mihi beneuolentiam conciliem? in quo, ut voluntatem quisquam laudare possit, qua etiam multi me aut adæquant, aut vincunt; ingenium certe, atque industriam, quæ voluntatem perficere potuit, iure nemo laudabit. In te vero tum ingenij, tum eloquentiæ præclara signa elucent: quæ absens animo sæpe contemplor, cum ea iam antea maxima letitia propius adspexerim, cum simul philosophiæ operam daremus: ut ex eo tempore singularis tua virtus me tibi valde deuinxerit, ac ego te amore singulari semper amauerim. hic, Ioannes Petre, quamquam vere loquar, nec verebor, ne quis dicat me auribus tuis gratiæ caussa inseruire: tamen, & maiorum tuorum iudicio, quo quid potest esse certius? & omnium consensu, ea, quæ dico, confirmari magnopere gaudeo. Tu .n. cum annum agas vix dum quinctũ, & decimum, qua ætate vix pauci inueniuntur, qui boni discipuli sint, Patrum tuorum

appro-

approbatione electus es, qui collegis tuis præceptor esses, & eos eloquentia erudires. non enim in philosophia ita verſaris, vt ab ea eloquentiam ſeiungas (quod quidem prudenter facis, ac tuum equidem inſtitutum maxime probo) ſed philoſophiæ ſtudio ita deditus es, vt etiam in eloquentia operam optime collocari exiſtimes. Permane in hac pulcherrima ſententia. non me latet multos eſſe, qui eloquentiam reprehendunt, & philoſophiam tantummodo laudant: ſcilicet, quia illa in verbis, hæc in rebus verſetur; illa verborum ſcientia, hæc rerum intelligentia; illa inanis loquacitas, hæc vera ſit ſapientia. hæc imperiti homines dicunt, qui tamen eorum exemplo refelluntur, qui, cum in philoſophia prope ſingulares exſtiterint viri, omnium quoque eloquentiſſimi fuerunt. non ne videmus Platonem, & Ariſtotelem, vtrunque in philoſophia præſtantiſſimum fuiſſe, vtrunque tamen ita philoſophiam cum eloquentia coniunxiſſe, vt alter omnium elegantiſsimus ſit, alter vero flumen orationis aureum fundat? tu vero recte ſentis, quod eos habeas auctores, eos ſequaris, ceteros cõtemnas, qui te a recta eloquentiæ via deducere vellent: quorum ſcripta, quia omnino fructu, & voluptate carent, raro admodum, aut nunquam legere ſoleo. quæ poteſt enim iucunditas eſſe in ijs libris, quæ vtilitas, in quibus inquinate, atque barbare ſcripta ſunt omnia? & in quibus nec verborum elegantia ineſt, nec

ſen-

ſententiarum ſplendor eſt vllus? nec ordo, nec diſpoſitio, nec omnino ſimulacrū aliquod, aut veſtigium eloquentiæ? quamquā ſi vlla res eſt, quæ te eloquentiæ ſtudio ardentem vehementius incitauerit, hanc certe fuiſſe crediderim; quod hoc animo omnes fere eſſe perſpexeris; quoniam latinæ linguæ ornamenta veſtri ordinis homines negligere videntur; nihil vt a vobis, niſi rude, nihil quod impolitum non ſit, exſpectari poſſe arbitrarentur. quam quidem opinionem vt ex animis hominum aliquando euelleres, neceſſe fuit. in hoc etiam conſilium tuum vehementer laudo; quod non aliunde, quam ex illo fonte Cicerone eloquentiam ipſam hauriendam eſſe duxeris. quis eſt enim, qui hoc in genere quidquam ſciat, qui non ex iſto ſcire fateatur? quis porro in hac latine ſcribendi facultate aliquid eſt, aut vnquam fuit, qui, quidquid eſt, non omnino de illo fluxerit fonte? quis omnium prudentior, quis eruditior, quis Cicerone ornatior, atque vberior? etſi nonnullos ex noſtris, in quorum ſcriptis omnium conſenſu, & approbatione, veteris reſidere eloquentiæ memoria videtur, nullo modo prætereundos exiſtimem. ij autem qui ſint, quid ue de ſingulis ſentiam, quid ego tibi patefaciam magna prudentia prædito, cui in hoc genere nihil poteſt eſſe occultum? taceo te præſtantem in muſicis; in philoſophia magna cum laude uerſatum: multa prætereo, quæ cauſſa ſunt, cur te ament omnes, & amicitiam tuam

ma-

maxime cupiant. Perge: præclare quidem adhuc te præstitisti; maiora tamen exspectamus. Nos quidem de futuris rebus nihil affirmare possumus: ex quibusdam tamen ingenij signis de futura hominum uirtute prædicere certe possumus. quis a te summa omnia non exspectat? quis dubitat, quin aliquando ille uir futurus sis, qui maximis honoribus dignus habearis, qui familiam istam tuis uirtutibus ornes, atque illustres; cum in hac adolescentia, in ipso pæne ætatis flore, tam præclara uirtutis, & ingenij dederis documenta? sed nescio quomodo in laudum tuarum mentionem inciderim, cum hoc neque mihi propositum fuerit, nec eas hic sit commemorandi locus. Velim ut ad me sæpe scribas, ac de te, studijsq; tuis certiorem me facias. te in ea urbe nunc esse, quæ floret ingenijs, quæ bonas artes colit, non mediocriter gaudeo. Equidem ego non ignoro hanc urbem complures tum maiorum nostrorum, tum patrum ætate præstantes uiros tulisse; in quibus Marcus Antonius ille Natta, qui præclara multa scripsit, uir tum sacris, tum humanis litteris insignis principem locum tenuisse uidetur. hisce autem temporibus multos in ea ipsa uiros esse, qui tum doctrina, tum humanitate excellunt, pro certo scio: quorum tu beneuolentiam (ut aditum sibi aperit uirtus ad amicitiam) non dubito, quin iam tibi conciliaueris: tuq; ex eorum congressu, ipsi uicissim ex tuo maximam utilitatem percipiant.

ex

ex quibus si aliquem mihi dederis amicum, quem amem, quem debitis laudibus ornem, pergratum mihi feceris. Hoc enim exploratum habeas velim, me cum multorum amicitiis augeri semper cupierim, tum in primis ad eorũ beneuolentiam conciliandam, qui virtute excellunt, omnes curas, omniaq; studia intendere. Itaque eos laudibus ornando, meam illis beneuolentiam declarando, eorum commodis inseruiendo, nullum officium prætermitto, vt ipsorum mihi amicitiam omnium rerum charissimam esse cognoscant. Si autem de statu meo, meorumq; studiorum ratione aliquid scire cupis; hæc accipe. Valetudine vtor satis commoda, animo tamen paullulum sum perturbatus. Sed, etsi in hac vita nihil magis expetendum uidetur, quam animi tranquillitas, & secundissima omnia: tamen, si nihil contra voluntatem accideret, si ex voluntate fluerent omnia, nullam exercendæ virtutis materiem haberemus, neque ad Deum, a quo vno ad omnes euentus subsidia sunt quærenda, ita sæpe confugeremus. otio autem, vt multis occupationibus districtus, omnino non careo; vt miro quodam eloquentiæ studio incensus, parum abundo. studia igitur non magnopere calent. Superiore hyemali tempore plane cessauimus. pauca enim scripsimus, nec multa etiam legimus. caussam in frigora confero, quæ hic pertulimus intolerabilia. nunc vero cum hyems iam abierit, & ineunte vere

omnium rerum amoenitas ad ſcribendum nos inuitet, quidquid negligentia omiſimus, maiori ſarciemus diligentia. ſequar enim meum inſtitutum, & quidquid ſuperererit a negotijs otij, id pæne totum in præclaris litterarum ſtudijs inſumam. multa enim illorum beneficio conſequor. quas ipſa vita moleſtias habet, modice fero; animo ſuauiſsimum præbeo alimentum; ad laudem, & ad honeſtatem excitor; vnam virtutem ſequor, cetera contemno. Hæc vt ſcriberem, Ioannes Petre, officio impulſus ſum; & cum ita occupatus eſſem, vt ad hanc epiſtolam ſcribendam vix otij ſatis haberem, eodem ſum officio admonitus, vt ex occupationibus ad te ſcribendi tempus eriperem. Tu, ſi de te viciſsim aliquid reſcripſeris, nihil mihi gratius facere poteris: ſin per occupationes tuas hoc meum explere deſiderium tibi non licuerit (tuo enim commodo fieri velim) amore ipſo contentus hanc litterarum intermiſsionem haud ita grauiter feram. Vale.

NIHIL *potuit accidere quod magis mirarer, quam per tot menſes nullas me a te litteras accepiſſe, & promiſſa illa, quibus me diu tenuiſti, te ex memoria deleuiſſe. ac equidem, ſi a te petiſſem, vt me in tuis ſcriptis laudares, & id a te impetrare minime potuiſſem, minus mirum: acquieſcerem. ſed cum te tua ſponte*

te

te id facturum pollicitus sis, ac postea ea de re ne verbum quidem feceris, hanc immutatam voluntatem mirari satis nequeo, atque tuam fidem, tuamq; in me beneuolentiam paullulum requirere cogor. scis quæ mea fuerit cupiditas. a te tantummodo diligi optabam: id si consecutus essem, te mihi satis dedisse existimarem: vt autem nomen meum tuis insereres scriptis, tantum abest, vt optauerim, ut ne cogitauerim quidem. at inquies fortasse te publice docendi munere distineri, ac idcirco consilium illud antea susceptum deposuisse. esto. vide quam humaniter tecum agam. neque enim is ego sum, qui res aliter accipiam, ac debeam, & qui, quod potest esse, pertinaciter esse nolim. Verumtamen non ne hoc ipsum te scribere decuit? non ne animum mihi tuum indicare æquum fuit? enimuero eos maxime laudare soleo, quibus totus est apertus, & simplex animus; vt contra eos maxime reprehendere, qui sæpe animum simulationis integumento occultant. quod sane vitium cum diligenter vitare debeant omnes, tum diligentius eos vitare oportet, qui in litterarum studijs versantur. & quamquam, quo meæ spectent actiones, iam notum esse arbitror: tamen quia fieri potest, ut id tu ignores, quando non consuetudo, non usus inter nos assiduus intercedit, rationibus nostris ita ferentibus, ut ego Genuæ, tu Ticini viuas, his de caussis faciendum mihi putaui, ut hoc ipsum per litteras significarem.

ficarem. Vt primum nosse aliquid cœpi * hanc mihi proposui uitam, ut, cum doctrina, quæ in me sane exigua est, bonitatem quoque coniungerem. hoc unum specto, nec ullus mihi iam uel doctissimus aliter ut faciam unquam persuaserit. Itaq; placere Deo semper studui: nihil præterea mihi curandum esse duxi. quid enim hominibus prodest, ingenio præstare, plurimarum artium cognitione excellere, nisi hæc omnia uni Deo referantur accepta, qui perennis est, ac æternus sapientiæ fons, & a quo uno cuncta manare bona uere credendum est? equidem non possum non uehementer eos improbare, qui in litteris tantum ambitione uersantur, in quibus quasi omnia habeant constituta, uitæ integritatem contemnunt, pluris doctrinam, quam æternam salutem facientes. multorum autem impudentiam mirari non desino, qui, ut tales uideantur, quales re uera non sunt, uirtute abutuntur. homines, si a litteris, & doctrina spectentur, integerrimi; si a uita, & moribus, uitiosissimi. quorsum ista, inquies? ut intelligas, me magis uirtutem ipsam, quam uirtutis insignia consequi cupijsse, & esse, quam uideri semper maluisse. hinc factum est, ut de sermonibus hominum minime laborauerim; at uero quid mihi faciendum esset, maxime semper cogitauerim. hinc etiam, ut laudem aliunde nunquam quæsierim, cum in ipsa uirtute, ac in optima præcipue conscientia ueram sitam esse laudem existima-

stimauerim. ea enim gloria inanis, atque infirma mihi semper visa est, quæ breui tempore posset amitti, quæq; opinione hominum potius, quā veritate niteretur. quid enim incertius esse potest, quam ex scriptorum arbitrio pendere? nota est eorum in scribendo consuetudo, nota licentia. vt mirum videri non debeat, si multi clarissimi viri de rebus suis commentarios perscripserint, & vitam suam litteris mandauerint. ea nimirum perfecta est gloria, quæ ex virtute pēdeat, quæ nullius laudibus augeatur, quæ nullius vituperatione minuatur. isq; gloria satis abundat, qui virtute præstat, qui laudabiliter viuit. quamobrem si quod promiseras, præstitisses, amicitiæ nostræ satisfecisses: vt autem mihi assentarer, vt me denique magis diligerem, profecto non effecisses. neq; vero te accuso; accusem te ego? te ne ego accusem, qui omnia recte cogitas, omnia prudenter agis? id me facere æquum esse non existimo. verum meā facilitatem accuso, quod promissa illa tua statim non reiecerim, & vitæ meæ rationem tibi non patefecerim. Sed quamuis nullam de me in tuis scriptis mentionem feceris, non id saltem a te impetrare potero, vt mihi in amore respondeas? non ne omnem humanitatem exuisse videreris, si tui amantem non redamares? ego equidem, quamquam tuis dictis facta non responderint: tamen, quod te amauerim, & obseruauerim, operam male collocasse nunquam existimabo. quod quidem institu-*

institutum, cum antea diligenter seruauerim, seruabo posthac diligentius, si a te me tantum amari intellexero, quantum ego te profecto & amo, & obseruo. Vale. Genuæ. VII. Kal. August. CIƆ.IƆ.XCV.

SINIBALDO FERRARIO.

TVA *in me beneuolentia adductus, Sinibalde Ferrari, illud tacere non potuisti; vt, quoniam antea nimium plenus, posthac in scribendo breuior sim. nam genus illud scribendi, etsi non omnino reprehendendum, non prorsus tamen laudandum esse existimas. equidem consilio tuo tum amoris, tum prudentiæ pleno, omnino parere constitui. quod si antea in oratione nimis redundans, & superfluens fui; detur hoc iuuenili ætati, quæ in scribendo haud semper exiguis finibus se continet, sed interdum liberius fluere, & vagari gaudet. omnino deinceps operam dabo, vt mea scripta tibi placeant. quod ego si assequor, displiceant alijs; non laboro. Tu, enim (quæ tua prudentia est) vnus omnium de his studijs iudicare potes. Tu in ijs tantum processisti, vt ad perfectam laudem perueneris, & complures ex nostris longe reliqueris. nam, quamuis interdum in nostris sermonibus dicas, me tibi latine scribendi facultate anteisse, & longe maiora mihi tribuas, quam tribuere par sit: non ita tamèn desipiens sum, vt non*

magis

magis in hoc modestiam tuam, quam veritatem agnoscam. Ego equidem in his studijs laboriose uersor. feliciter parum; vt verear, ne labor omnis pereat, quem in illis tractandis susceperim. quamquam lucri parum fecisse mihi non videor, quod inuidis, & obtrectatoribus meis silentium imposuerim. dictitabant maleuoli me orationem illam de Concordiæ laudibus non fecisse, quam tribus fere abhinc annis in nostra Dispersorum Academia habui scilicet, quia tantum, ac tam breui tempore in latina lingua tunc profecisse non poteram. Vere loquar, Sinibalde, stultorum hominum sermonibus mea mihi detrahentium nonnihil commouebar. etsi nulla res me ab incœpta via retrahere vnquam potuit. quin etiam magnam illis habeo gratiam; cum eorum maleuolis sermonibus factum sit, vt maiore constantia in mea sententia permanserim. non enim Balthassari Ayrolo assensus sum, qui me (beneuolentia credo adductus) vt cessarem hortabatur. cuius auctoritatem cum multis in rebus plurimum apud me semper valere passus sim: in hac vna tamen eam omnino nihil valuisse non mediocriter gaudeo. quid, si non tantum fortasse doloris tunc capiebam, cum illa dicebant, quantum nunc caperem lætitiæ, eadem si dicerent? satis oratio illa puerilis est. quippe ego me pure, eleganterq; tunc scribere existimabam, si alienas mihi sententias in meis scriptis vindicarem, & si in scribendo

ſcribendo a Cicerone ſæpe, vel a quouis alio illi ſi minus pari, certe proximo, totus eſſem. cognoui poſtea maximæ prudentiæ eſſe bonos ſcriptores eligere, quos diligenter imitemur; maximæ autem induſtriæ eos aſſequi, quos nobis ad imitandum proponimus. itaque nunc, quod abſque arrogantia dictum ſit, maiori ſtudio adhibito, maiora ſi vellem, fortaſſe poſſem. ſed inuidos, & obtrectatores miſſos faciam. Te vero, Sinibalde, cuius præceptis, & conſilijs illud conſecutus ſum; vt, ſi non tibi ſimilis eſſe poſſum, qui latine egregie loqueris, noſtris diſsimilis ſim, qui non bene latine loquuntur, cur non amem? cur in ijs non numerem, qui de me optime meriti ſunt? equidem iam tantum me tibi debere profiteor, quantum perſoluere ſi velim; id ne minima quidem ex parte facere poſsim. Sed, ſi pro tuis in me meritis tibi referre gratiam non valuero, habere quidem certe non deero. alterum cum præſtare non poſsim, ſi tentem, valde ſim demens: alterum cum poſsim, ſi prætermittam, valde ingratus.

Vale. Ex ædibus noſtris III. Nonas Septemb. CIϽ.IϽ.XCV.

IO-

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS EPISTOLARVM

Lib. II.

HORATIO LOMBARDELLIO,

Senas.

MAGNVM *hoc est virtutis priuilegium, optime Lombardelli, ut absentes non minus, quam præsentes amemus. complures quidem Genuæ adsunt viri doctrina præstantes, quorum me consuetudo vehementer delectat, quosq; ego studiose colo: verumtamen, cum eorum scripta lego, vel de ijs alios loquentes audio, qui in nostra Italia viuunt, aut in longinquis regionibus habitant, facere non possum, quin eos item diligam, & eorum mihi beneuolentiam conciliare studeam. ex omnibus vero te mihi in primis amandum, colendumq; proposui; quem ego de facie ignotum, multorum tamen sermonibus, & scriptorum tuorum lectione plane cognoui. equidem tua scripta cum antea sæpe legissem,*

doctrinam redolere mihi semper visa sunt, quam maxime probitas commendat. non multa tu quidem litteris mandasti; sed quæ legentibus non mediocriter prosint: vt, qui plura scripserint, fortasse multi, qui meliora, pauci admodum reperiantur. sæpe alios maxima cum animi voluptate audiui de laudabili vitæ tuæ instituto, de morum integritate, de præclara exercendæ virtutis consuetudine, multa narrantes; sed ea nescio quomodo iucundiora acciderint Balthassaris Ayroli adolescentis summa mihi necessitudine coniuncti testimonio cõfirmata. Te felicem, Horati, qui has humanas perturbationes vitare potueris. nam, dum alij in his vitæ tempestatibus naufragium sæpe faciunt, tu prope solus in litteris, velut in pleno tranquillitatis portu, acquiescis. quanti illud etiam apud me esse debet, quod Torquatus Taßius maximam de tua virtute opinionem habuerit, atque eam summis laudibus decorauerit? quis ab eiusmodi viris laudari maximæ felicitatis loco non ducat? summus ille quidem poeta fuit, qualis ante acta ætate non exstitit, atque haud scio, an insequenti futurus sit vnquam. itaque, eo morte exstincto, verus poesis honor, & etrusci sermonis splendor exstinctus est. quid? parum ne illud valet ad beneuolentiam conciliandam cuiates homines sint, quoue loco nati? quis Senarum nobilitatem, ac dignitatem ignorat? quæ ornamenta isti Ciuitati desunt, cum hoc

vno abundet, vt ingenijs floreat, atque studia, & bonas artes colat? sed eius laudes longam fortasse orationem desiderarent; epistola autem breuitatem requirit. Vides amoris in te mei multas esse caussas, easq; quidem minime leues; hanc vnam autem grauissimam esse, quod vitæ innocentiam cum doctrina coniungas. vnum restat, vt vicissim te mei amantem præbeas, ac in numero tuorum me habeas. quod ego si assequor, in eo, quod maxime optauerim, mihi satisfactum esse existimabo. quem fructum ex studijs meis præstantiorem, vberiorem ve percipere vnquam possum, quam si doctissimorum virorum beneuolentia fruor? nec solum me a te amari intelligere cupio, sed etiam, vt idem alij quoque intelligant, vehementer opto. alterum ad animi mei iucunditatem, alterum ad meam laudem maxime interesse arbitror. vnum doleo me tecum assidue esse non posse: sed mutua inter nos litterarum missio magnæ mihi leuationi erit: vtq; ex eo magnam molestiam, sic ex hoc magnam iucunditatem percipiam. Interim mea omnia studia, officiaq; omnia libenter tibi defero; ijs enim si in tuis rebus vti volueris; operam dabo, vt non minus ex re ipsa, quam ex studio, & voluntate meam erga te beneuolentiam perspicias. Vale. Genua XII. Kal. *Nouemb.* CIↃ.IↃ.XCV.

OCTAVIO AMALTHEO, HIERONYMI FILIO.

Venetias.

CVM *doctißimorum virorum præclara testimonia de Hieronymo patre tuo iampridem vidissem, ita illius amore incensus sum, nihil vt senserim ardentius; ita illius scripta legendi cupiditate exarsi, nihil magis vt expetiuerim. fidem facile habebam huiusmodi viris; nec eos alucinari potuisse existimabam, quia prudentes erant; nec falsa narrasse, quia veritatis amatores. itaque magnam de eo opinionem conceperam, quæ in dies magis magisq; augebatur. etsi ea quidem tanta non erat, quin futurum, vt res ipsa eam superaret, pro certo haberem. sed cum eius scripta maxima diligentia conquisissem, ea non modo non inueni, sed ne spes quidem vlla erat fore, vt vnquã inuenirem. hominem autem doctißimum, & in primis Poetam præstantißimum adduci potuisse, nihil vt litteris mandasset, & nos tanto fructu, tantaq; voluptate priuasset, mihi persuadere non poteram. erat hæc in summo desiderio maxima molestia, tantiq; viri scripta tanquam in tenebris latere, digna, quæ in clarißima luce versarentur, ægre ferebam. Verum posteaquam filium*

te suum reliquisse illum intellexi, te inquam, qui eius tum corporis, tum animi imaginem ita refers; qui consuetudinem ita imitaris, vt non modo paternæ virtutis, sed amoris etiam, quo ille amicos amplexabatur, hereditatem adiisse videaris; quod maxime optabam, me consecuturum speraui: simulq; illud impetraturum, vt me, qui patrem tuum mortuum colo, eorum loco habeas, qui eum viuum obseruarunt. Itaque statim ad te scribere constitui, maluiq; immodestiæ notam subire, quam non hanc meam tibi erga patrem tuum, atque adeo erga te ipsum propensionem significare. equidem præsens præsentem te alloqui cuperem, tum vt te, quemadmodum fama, ita de facie quoque cognoscerem; tum, vt ea, quæ de Patre tuo ab aliis accepi, ex te ipso intelligerem. sed occupationes impediunt: quod si per eas liceret, iis sane nominibus contemnerem huius vrbis pulchritudinem, & magnificentiam præ illa volupta-te, quam ex tuo ipsius adspectu perciperem. Te igitur rogo, vt hanc meam voluntatem amplectaris, & patris scripta, aut meo nomine Ioanni Paullo Iolito Ferrario dare ne graueris, aut illi saltem, vbi ea perquirere debeat, indicare velis. is enim, vt vir optimus est, atque officiosissimus, ea ad me perferenda diligenter curabit: etsi non tam cito id faciet, quin nimium sero ea mihi reddi videantur. Pluribus tecum agerem, si aut humanitas tua mihi dubia esset, aut tu is

esses,

esses, qui patris virtutem longe distribui, & communicari nolles. tantum dicam, si in eo, quod a te peto, mihi morem gerere volueris, me tibi in perpetuum fore deuinctum. Vale. Genua. XIII. *Kal. Decembris.* CIↃ. IↃ. XCV.

ALDO MANVTIO, PAVLLI FILIO,

Romam.

QVOD *antea tam diuturno silentio vtereris, & ad ea, quæ per litteras ex te quæsieram, nihil rescriberes, vt de homine parum diligenter officium colente, de te non nihil queri cogebar. verum, postea quam tuas noui occupationes, & multorum sermonibus de immutato rerum tuarum statu certior sum factus; tantum abest, vt de te iam querar, vt etiam ex eo magno dolore afficiar; simulq; illud mirer, qui fieri possit, vt ijs destitutus auxilijs, quæ industriam adiuuare possent, tot litterarum caussa susceptos labores sustinere queas. Itaque has ad te litteras dare volui, tum vt me tibi purgarem, si aliquando plus tibi oneris imposui, quam occupationes paterentur tuæ; tum, vt quam ex hac tua tam aduersa fortuna sollicitudinem capio, tibi declararem. nam si quisquam est, qui animo angatur,*

cum

cum virtuti locum esse non videt, & lætitia afficiatur, cum merita virtuti præmia tribuuntur, eum me esse scias velim. alterum mihi contigit superioribus diebus, Matthæo Senarega Reip. meæ Duce creato. eo enim nomine tanta sum perfusus voluptate, quanta, qui in eo, quod votis optauerat, sibi satisfactum intelligit. quis sibi Reiq; publicæ maxime non gratuletur, bonorum tandem omnium consensum plus, quam paucorum iniquitatem valuisse; & nostræ Ciuitatis principatum eum obtinuiße, qui eloquentia, atque prudentia fere princeps est? alterum in tuis, tuiq; similium virorum calamitatibus sentio, ex quibus quantum molestiæ suscipiam, qui meam consuetudinem, ac meos plane sensus tenent, optime norunt. at quis non ingemiscat, complures ex ijs, qui, si opes spectentur, litteratos homines subleuare maxime possent; si quid autem merita valent, maxime deberent; vsque eo crudeles esse, vt ijs vel necessaria deesse patiantur? te vero, quem maximis præmijs accersiri ex vltimis terris æquum esset, vt hominum studijs consuleres; in ipsa vrbe Roma id tua sponte facientem tam domesticis incommodis laborare, quis non ferat inique? nam, cum ita vixeris, vt ad homines iuuandos haud fere alius quisquam fuerit propensior: tamen, tantum abfuit, vt digna meritis tuis præmia tuleris, vt etiam eos ingratos expertus sis, atque immemores. sed veniet tẽpus,

cum

cum eos, qui tibi de hominibus optime merito plurimum debebant, in te ingratos exstitisse pœniteat, & quam adipiscendæ virtutis occasionem habebant, eam sublatam frustra desiderent. Tu tamen, quando optimi viri officio satisfecisti, bonarumq; artium studiosis optime consuluisti, tuum ab omni cura animum uindicare debes: cum præsertim duas res habeas, quibus maxime sustenteris, pietatem erga Deum, & partam tuis scriptis gloriam; quarum altera præstantissimum tibi in cælo fructum, altera nominis æternitatem promittit. en fructus, quos pater tuus ex tantis laboribus, atque uigilijs tulit. ualeant iniqui, & in obscuris ignorantiæ tenebris perpetuo iaceant. Ille, dum Romanæ litteræ splendorem suum obtinebunt, dum probitas inter homines elucebit, obscurus esse non poterit: quin etiam doctrina, & eloquentia clarus, bonitate, & in Deum pietate clarior, immortalitatis luce fruetur. quod reliquum est, te rogo, ut tuam mihi beneuolentiam conserues, ut in tantis occupationibus mihi rescribas, non postulo: cum præsertim rationem inierim, qui litterarum tuarum desiderium, si prorsus non tollerem, aliqua saltem ex parte minuerem. nam, ut Venetijs a Ioanne Paullo Iolito Ferrario, tua ad me scripta mitterentur, curaui. ea enim cum sæpe in manibus habeam, hoc assequor, ut silentium tuum minus mihi molestum sit. quæ quidem scripta ita mihi placent, ut, qui ea non legunt,

legunt, maximo fructu, qui uero legunt, ac non probant, omni iudicio carere existimem. nam Auũ tuum, non tantum nomine, sed etiam doctrina, Parentem uero & doctrina, & eloquentia mihi referre uideris. ego autem nemini concedo, qui plus te obseruet, ac diligat. quod si mei tibi sensus, æque ac ea, quæ oculis cernuntur, omnino paterent, ita esse perspiceres: & non modo, quæ mea sit in te animi propensio, sed eam ipsam, quam omnibus notam esse cupiam, facile cognosceres. Vale. Genua. CIↃ.IↃ.XCVI.

VT *Academiam istam instituistis* hoc a Deo Opt. Max. precatus sum, ut tanta res, quam omnibus profuturam intelligebam, uobis feliciter, prosperéq; succederet. quod cumulatissime consecutus nihil mihi adhuc in uita accidisse iucundius uere affirmare possum. ex eo enim tempore Academia uestra ita floruit, ut omnibus Academijs, quæ iam fuerunt, quæq; nunc sunt, nobilitate, atque doctrina facile antecellat; Ciuitatiq; nostræ splendoris tantum afferat, ut illa non tam pulcherrimis ædificijs, ac diuitiarum amplitudine, quam hac ipsa Academia clarior sit. quamobrem hoc uestrum institutum cum magis considero, magis summis laudibus efferendum censeo: nihilq; utilius, aut ad ciuitates illu-*

ſtrandas, aut ad homines ſtudio uirtutis inflammandos excogitari poſſe arbitror. nam, cum natura ita comparatum ſit, ut ex hominibus alius in alia re, nullus in omnibus excellat, ac idcirco alter alterius indigeat; optime, mea quidem ſententia, conſultum fuit, Academia inſtituta. hic ſeſe mutuo ad laudem, & decus homines hortantur, ſuas quiſque cogitationes in medium profert, &, quod alteri deeſt, præſto plerunque eſt alteri: vt ſuauis quidam cõcentus Academia mihi videatur, qui ex diſſimillibus vocibus oriatur, tanta tamen arte conciliatus, vt aures, animumq́ dulcedine compleat. nam quãuis e vobis alius hiſtoria magis delectetur, alius poetices in ſtudio laudabilius verſetur, alius iuris ſcientiæ propenſius deditus ſit: vnum tamen ſcopum, immortalitatem ſcilicet, velut facta conſpiratione, omnes ſpectatis. præclara conſenſio, vt nihil tam difficile, arduum ue ſit, quod non, & tam concordi ſtudio, tantaq́ mutui amoris concordia, ad exoptatum exitum perducere poſſitis. Sed, ſi quemadmodum de gloria veſtra maxime laboro, ita ipſe, quæ ad eam pertinere ſentio, aperte dicere debeo; hæc veſtra Academia tanquam illuſtre aliquod monumentum ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam. præclare quidem illius fundamenta iaciſtis, altius eam ſuſtuliſtis; quis negat? ſed expolitio, ſiue perfectio operis reſtat: quæ quidem in

eo

eo mihi posita esse videtur, vt aliquid mandetis litteris, quod posteri in manibus habeant. nisi hanc etiam partem absolueretis, videremini hominibus haud secus egisse, atque aliquis architectus, qui maximo artificio admirabilem fabricam inchoaret, sed eam rudem, atque impolitam relinqueret. Praeclarum est assiduis tum legendi, tum disputandi exercitationibus tanquam suauissimo pabulo ingenium alere; sed longe pulchrius est cogitationes suas litteris mandare. illae in nostrum duntaxat vsum accommodantur; hae etiam ad alienas vtilitates se explicant. Illae obliuione quandoque delentur; hae nulla vnquam vetustate tolluntur. nam, quod in studio excogitandi, atque effingendi insignia vos tempus conterere audio, res profecto inanior est, quam vt in ea industriae vestrae neruos contendere debeatis. id enim ingenium, idq; studium est omniũ vestrũ, maiora vt a vobis homines exspectent, atq; eadẽ, quae ab ijs, quibus summa voluntas, summaq; facultas non desit. quid cessatis ingenij thesauros multis laboribus, multoq; studio congestos explicare? num vobis maiori voluptati eos asseruatos, quã gloriae, cum alijs cõmunicatos, fore censetis? famae igitur vestrae ita male consulitis, vt eam angustis Lyguriae terminis contineri velitis? scilicet hoc fuerat, propter quod, relicta patria, domestico studio non contenti, doctrinae comparandae caussa, modo Bononiam, modo Patauium vos olim

contuliſtis , & præſtantibus in omni ſcientia viris operam dediſtis. quod ſi, quemadmodum adhuc virtutis cognoſcendæ ſtudio incenſi fuiſtis, ita poſthac illius ornandæ deſiderio flagraretis, quos fructus ex laboribus veſtris homines non colligerent, aut quas ipſimet laudes diuino veſtro ingenio, eximiaq; induſtria non conſequeremini? nolite igitur ſolidam, veramq; gloriam contemnere, quam ſcribendo vobiſmetipſis profecto comparabitis. ea enim, quæ ex opibus, aut populari gratia paratur, vt falſa prorſus, ac inanis eſt, ita ad breue tempus, exiguumq; perdurat. Litteris vero de vobis optime meritis, eas excitando, atque ornando, præmium reddite. nam plus quam naturæ illis, pæne dixerim, a nobis debetur. quod viuamus, hoc quidem naturæ munus eſt; quod autem melius, ſapientiusq; viuamus, litteris acceptum referre debemus. longiorem epiſtolam non faciam, ſpero enim fore, vt homines tum vos aßidue vigilaſſe animaduertant, cum ſomno ſepultos iacere crederent. hæc pauca vero, quæ dixi, vt omnino ſuperuacanea non exiſtimo; ſic ea in optimam partem vt accipiatis, vos omnes rogatos velim. nam ludorum ſpectatores imitari volui; ſaltem ſi præ virium mearum imbecillitate vos per hoc virtutis ſtadium ad immortalitatem tanquam ad metam currentes non ſequerer, acrioribus ſtimulis vt incitarem.

IO.

IO. VINCENTIO PINELLO, Patauium.

CVM ad eos animum conuerto, qui in Italia nostra præclara litterarum studia excitarunt, ac summum in honorem adduxerunt, Pinelle vir præstantissime, tu mihi vnus omnium id maxime fecisse videris; vt vere litterarum patronus, vere litteratorum Mæcenas inter alios appellari possis. nam, vt omittam, quod ipse omnibus liberalibus disciplinis ita excellis, vt nemo prorsus ex nostris tecum conferendus sit, nedum anteponendus; litteratos homines libenter ita amplecteris, vt nihil prætermittas, quod ad eorum studia fouenda, atque alenda pertineat. quod cum ita facis, non minorem a studiosis omnibus, qui alienis scriptis maxime delectantur, quam a doctissimis viris, qui tua cohortatione aliquid scribunt, gratiam inire videris. tibi referuntur accepta tot præclara monumenta, quæ viri ingenio, & doctrina præstantes, tanquam vberrimos industriæ suæ fructus, reliquerunt; & ea se a te habere omnes fatentur. nam, nisi doctissimorum virorum studia tuis opibus sustentasses, eorum scripta in lucem non prodijssent; &, quæ illis proposita erant, haud perficere potuissent. quis porro tam libenter in explendas voluptates pecunias vnquã effudit,

effudit, quam tu libenter in libros tum græcos, tum latinos undique comparandos semper effudisti? illud certe constat, qui uel exquisitiorem, uel plurium nummorum bibliotecham habeat, hac ætate existere neminem. minimeq́ mirandum uidetur, si quis superioribus diebus in conuentu doctissimorum uirorum dixerit hanc tuam bibliotecham iucundiori spectaculo sibi fuisse, seq́ ex ea maiorem uoluptatem percepisse, quam ex illo multiplici armorum apparatu, quo tantopere Venetiæ gloriantur. næ tu præclarum uitæ genus, quod est totum in uirtute constitutum, summa cum laude, ac tranquillitate semper coluisti, & in tantis humanæ uitæ tenebris, in quibus plærique mortalium sæpe offendunt, ex omnibus uirtutibus clarissimum lumen emittis, ut errantes uerum iter gloriæ iam agnoscere, qui uero illud iam ingressi sunt, alacriter progredi possint. ac bonum quidem fatum sortita est Patauina ista Ciuitas, quod in ea sedem ita locaueris, ut illius pæne, quæ te genuit, oblitus uidearis. nam, quamuis illa artium liberalium studijs, doctissimorumq́ hominum concursu clara satis sit: splendoris tamen accipit plurimum ex maximis tuis clarissimisq́ uirtutibus. quæ quidem bona sua intellexisse mihi uidetur, cum te non modo libenter acceperit, sed acceptum tanti faciat, ut eorum in numero ducat, in quibus omnino suam niti gloriam fateatur. uerum non isto tantummodo Patauino ambitu

bitu tuæ uirtutis fama terminatur, sed ad aures omnium, qui ubiq; terrarum sunt, mortalium etiam manauit; ut non modo, qui præsentes tua singulari uirtute fruuntur, te ament, atque obseruent, sed etiam longinqui omnes, qui eam animis assidue intuentur, in tui amorem, & obseruantiam alliciantur. non mirum igitur, si nulla adhuc historia tuas laudes prætermisit, si nomen tuum scriptis omnes extulerunt. Ego equidem, cum tuam ipsius animi imaginem egregijs tum Oratorum, tum Poetarum scriptis expressam uidissem, tuam quoque corporis ita uidere cupiebam, ut, nulla modestiæ habita ratione, eam a te petere non dubitauerim. futurum enim pro certo habebam, ut illa cubiculi mei ornamentum existeret, & ego eam sæpius intuens magnam non modo oblectationem caperem, sed etiam ad studium summæ laudis maxime excitarer. nec, quamuis mihi hoc munus denegaueris, in quo tamen modestiam tuam licet agnoscere, de te queri ausus sum, sed ad tuam uoluntatem, quæ apud me plurimi semper erit, totum me contuli, & ceteris in rebus, quas deinceps expeterem, tuam mihi humanitatem non defuturam existimaui. itaque ut in eo, quod nunc a te uelim, mihi satisfacere ne graueris, si rem laudabilem esse, & ad uirtutem augendam, atque ornandam, pertinere intelliges, te etiam atque etiam rogo. nam, cum in tua locupletissima bibliotecha nihil inelegans, nihil

non

non exquisitum locum habeat, cum doctissimos uiros contubernales semper habueris, multa quoque præclara scripta te habere, quæ inter manus non ita uersentur, mihi persuadeo. ea igitur, si operam dederis, ut ad me legenda, atque describenda perferantur, quod commodius fiet, si Venetijs Ioanni Paullo Iolito Ferrario humanissimo uiro meo nomine in manũ dari iusseris, gratissimum mihi feceris. me mirum desiderium tenet illius Lucretianæ interpretationis, de qua Paullus Manutius in ea ad te scripta epistola mentionem facit; incredibile autem elegantissimorum scriptorum Nicasij Casletani, Andreæ Patricij, horumq; similium uirorum, idest litterarum elegantia excellentium. cum uero pauca quædam de ijs rebus a te petam, quibus ita abundas, ut, quantumuis alijs impertias, earum tibi copia semper sit maxima, quasq; omnibus ita libenter communicas, ut his ipsis plus alijs, quam tibi diues esse uidearis, cur facile me impetraturum non sperem? sed huius epistolæ non solum ea caussa est, ut scripta, si quæ habes eorum, qui philosophiam cum eloquentia coniunxerunt, quibus conuictu tuo frui, & contubernio licuit, ea te rogarem, mihi ut impertires; sed etiam hæc iustior, ut quo te studio colam, quam te uehementer obseruem, tibi denuo significarem. hoc mihi propositum est, hoc unum scilicet maxime specto. ut enim, quod nunc a te peto, minime impetrem; satis tamen lucri

fecisse

fecisse existimabo, quod me indignum non iudicaueris, qui in tuorum numero locum obtineam. Vale. Genua. CIↃ. IↃ. XCVI.

ROBERTO TITIO.

Florentiam.

DE *tuo statu superioribus diebus ex Vincentio Alzario quæsiui, & ex eo te summo uitæ discrimine ægrotasse intellexi. maximum ex hac re dolorem suscepi, quem tamen incredibilis lætitia statim consecuta est, quod ex eodem ipso paullo post valetudinem te recuperasse cognoui. hoc verissimum esse, mi Roberte, ex ipsa mea erga te beneuolentia conijcere potes; de qua quidem si te dubitare mihi persuaderem, omnium, quotquot viuunt, mortalium miserrimus essem. Ego equidem te amo, &, vt debeo, vsque dum viuam, amabo, cum omnium nemo merito magis, quam tu, ametur: nec mirum, cum te vno omnium nemo amabilior sit. nec mihi omnes omnium diuitiæ, & opes tanti essent, vt amicitiam tuam contemnerem. nec si me natura multis ingenio, atque doctrina inferiorem finxit, continuo in amicitijs colendis inconstantiorem finxit. in hoc equidem peccaui, quod rarius ad te scripserim, cum occupatio nulla debuerit esse tanta, quæ me*

retardaret, quo minus istam officij partem etiam præstarem. hoc sane nomine magnam sollicitudinem sustineo; ac tantum abest, ut meam culpam excusem, vt etiam te rogem, vt illi ignoscas. quod si in me durior esse volueris, quascumque pœnas mihi impones, eas libenter sufferam, nec subire recusabo. Sed caue, ne ex silentio meo tui me oblitum esse suspiceris. An ego illius obliuiscar, a quo vno tot in me sunt profecta officia? quem vnum ex omnibus colo, atque obseruo? nunquam faciam. Velim scire ex te, quod opus in manibus nunc habeas. nam cum apud te pluris nihil sit, quam vt litterarum studiosis consulas, haud quiescere potes, sed semper aliquid ex ingenio promis, tibi quod laudem, alijs fructum ferat. nec, vt vere dicam, aliter facere debes. nam, cum ijs scriptis, quæ adhuc in publicum protulisti, plurima obscura loca in antiquis scriptoribus illustraueris, cumq; multa nostrorum hominum errata patefeceris, in eo tuam nobis fidem quasi obstrinxisti, te de hominibus bene merendi consuetudinem nunquã dimissurum. Gabrielem Chiabreram poetam egregium istuc venisse, & vos vna esse intelligo. O dulcem congressum. cur mihi vestro aspectu, vestroq; alloquio frui non datur? cum vna mehercule ambulatiuncula, atque vno sermone nostro magni Ferdinandi Ducis vestri thesauros non contulerim. salutem ei plurimam meis verbis, si nondum

istinc

istinc discessit. redeo ad illud, quod initium epistolæ fuit, quodq; maxime ad communem vtilitatem interesse arbitror. maximas Deo Opt. Max. gratias ago, quod tuam tibi pristinam restituerit sanitatem; atque eundem precor, vt tibi concedat, vt ad summam senectutem optima valetudine viuas. Vale. Genuæ. Kal. *Iun.* CIↃ. IↃ. XCVI.

IO. NICOLAO SAVLIO CARREGÆ ROBERTVS TITIVS. S. D.

CONVALVI *non ita pridem e graui sane morbo, ac valde periculoso, quo multos dies maxima cum molestia sum conflictatus: nunc vero mirifice lætor non tam ob recuperatam valetudinem, quam ob elegantissimas tuas litteras amoris, atque officij plenas, quibus fortasse caruissem, nisi illa scribendi occasio tibi fuisset oblata. Alzario autẽ nostro plurimum equidẽ me debere profiteor, propterea quod tibi auctor fuit, vt me tam solida voluptate cumulares. nam, per Deũ, quid potuit mihi hoc tempore iucundius accidere, quã tui, hoc est iuuenis nobilissimi, atque eruditissimi erga me amoris, ac beneuolentiæ tam insignis testificatio? ne viuam, mi Sauli, nisi magnum quiddam, atq; adeo maximum mihi adeptus fuisse videor, propterea quod intellexi mei memoriam tibi non excidisse, immo*

vero adhuc eo loco esse, quo ego maxime velim. nam cũ ipse nullos in liberalioribus studijs progressus, aut certe perquam exiguos me fecisse sentiam, probe intelligo aliunde me famam aliquam assequi non posse, quam a te, tuiq; similibus, quibus vel de nomine tantum innotuisse plurimum ornamenti, ac laudis in omne tempus mihi afferre potest. itaque stultus omnino sim, nisi amicitiam tuam plurimi faciam, eamq; omni cura, & diligentia colere porro enitar. quamquam in eo male prorsus mecum agitur, quod nulla ratione fieri posse video, vt mea opera, ac studium alicui tibi vsui esse queat: verumtamen, quod vnum licet, cumulatissime præstabo. te igitur summo in honore semper habebo, atque, vt virtus tua, insignisq; eruditio postulat, suspiciam, & admirabor: nec mihi vmquam quidquam magis in votis erit, quam vt possim aliquando nonnullam grati animi significationem tibi præbere. id autem faciam tum mea sponte, tum abs te admonitus, si quid vmquam acciderit, in quo tibi deseruire possim. Quod vero scire cupis meorum studiorum rationem, & quid nunc potissimum in eo genere elaborem; facile explicauerim, si dixero, me prorsus languere, ac nihil egregij iam amplius cogitare: adeo varijs occupationibus distineor, quæ me ab incæpto cursu non modo remorantur, sed prorsus etiam reuocant. voluntate igitur potius, quam re ipsa aliquid præstare conor, atque Aristotelis

Pro-

Problemata mihi interpretanda sumpsi, quorum iam bonam partem absolui, suadente in primis Hieronymo Mercuriale, qui, si non plus amori, quam veritati tribuit, laborem meum non vsquequaque improbat, ac, vt in eo pergam, vehementer hortatur. iam vero commentarios de soluendis amoribus penitus absolui, sic quidem, vt in publicum prodire possint; sed prius res tota iterum communicanda est cum Mercuriale, a cuius ego iudicio, vt par est, totus pendeo. en habes, quod cupis. Chiabreræ præsentia non sine maxima mea voluptate aliquandiu fruor, vtinam te quoque eodem pacto uidere, & complecti possim. is homo est omnium, quos vmquam nouerim, eruditissimus, atq; in pangendo etrusco carmine æquales paucos, superiorem certe habet neminem; immo vero, si quid iudico, is vnus hodie regnat, atque omnibus palmam eripit. addo ipsius suauissimos mores, & in amicitijs colendis egregium studium, quibus virtutibus omnium animos ad se amandum facile pertraxit: me vero ita deuinxit, vt nulla vmquam temporis longinquitas, nulla locorum intercapedo tanta esse possit, quæ me ab eius amore abstrahat. tu ab eo plurimum saluebis, ita enim, vt adscriberem, ipse mihi iussit, dum hic vterque in mea bibliotheca suum negocium peragit. sed & ego quoq; plurima te salute impertio, & vt me amare pergas, etiã, atq; etiã rogo. Floren. V. Id. Iunij. CIƆ. IƆ. XCVI.

HA-

HABES *cum his Chiabreræ binas literas, vnas ad te ipsum, ad Salinerium alteras. tibi significo, eum (Chiabreram intelligo) apud nos futurum vsque ad festum Diui Ioannis, quod est huius Vrbis numen tutelare. per eos dies plura spectacula celebrantur. his Chiabreram interesse volumus amici eius omnes, nec ante eum diem ipsum hinc discedere permittemus: itaq; si rescribere vobis libuerit, poteritis huc epistolas dirigere. nostin? Iterum vale.*


MVLTVM REVER. P. FRATRI CONSTANTINO MONTOBIO CARMELITAE,

Romam.

CVM *de perhonorifico munere nuper tibi delato, vt Reuerendissimi Generalis tui arcanis præesses, quam voluptatem maximam ceperunt, eam tibi omnes ostendant; ego quoque, qui in te amando nemini concedo, hoc officium prætermittere nolui. Equidem libentius præsens præsenti tibi gratulatus essem, vt lætitiam meam ex dignitate tua susceptam non minus voce, quã oculis, & vultu tibi indicarem; sed cum id non licuerit propter tuam pæne improuisam profectionem, certe quod proximum est, libenter præstabo, vt eam tibi*

litteris

litteris declarem. quam quidem præcipuam esse velim existimes. siquidem alij tibi gratulantur, quod te hoc honore affectum tantummodo considerant, præterea nihil; ego vero, quod fore confido, vt is tuæ gloriæ principium sit, ac vt eam ipsam dignitatem maiores dignitates subsequantur. quamobrem hoc Generalis tui de te iudicium non possum quin maxime probem, qui cum diligenter caueat, ne Religio vestra rectis institutis fundata prauis moribus euertatur, te præcipue sibi voluit esse a secretis, vt laborum socius secum adsis, vt de maximis rebus vna tecum consilium capere possit. cuius sane iudicio, non dubitamus futurum, quin egregie respondeas, & eam, quam de te apud homines exspectationem concitasti, sustineas, ac tuearis. nam, quantum consilio, ac iudicio excellas; quantum prudentia, ac rerum gerendarum vsu valeas, sæpe perspeximus; quantam vero theologiæ, ac philosophiæ cognitionem consecutus sis, id maxime in circulis, ac doctissimorum virorum coronis, cum celeberrimæ disputationes haberentur, cognitum est. in quibus sane disputationibus tuas partes acerrime tuens tam vehementer præliabaris, vt in te summus amor laudis, summaq; victoriæ cupiditas cerneretur. en habes, cur gaudeas, vehementerq; læteris, cum ex laboribus tuis nunc satis iam uberes fructus percipias, uberiores tamen in dies percepturus. Sed nolo esse longior. illud tamen



men

men te rogo, ne me amare desinas. vereor enim, ne illud fortasse axioma inducas, ideo quia, dum hic eras, ad te rarius adierim, necessario sequi, ut te non amem. quod si facis, pace tua dixerim, recte non inducis. ad te enim crebrius uisendi caussa non ueni; primum, quod, ut scis, Collegium uestrum deuium est, ut illud petentibus non ita facile occurrat; deinde quod per occupationes mihi non licuit. quamobrem hoc tibi penitus persuade te a me & amari, & summa obseruantia coli. siquas tua caussa res præstare possum, eas tibi polliceri, ac deferre, cum in tua sint potestate, & ijs, æque ac tuis uti, uel abuti etiam possis, superuacaneum esse existimo. Vale. Genua V. Kal. *Iulij*. CIↃ. IↃ. XCVI.

FABIO BELLONIO,

Ticinum.

VINCENTIVS *Alzarius superioribus diebus, cum inter nos sermo esset ortus de ijs hominibus, qui hac nostra ætate doctrina excellunt, ac bene de litteris meriti sunt, multos quidem commemorauit, qui suum nomen utraque laude illustrant; sed te præcipue ita laudibus extulit, ut, quæ singulæ uirtutes in illis prædicantur, eas in te omnes simul esse fateretur. illius sane oratio tantam uim habuit (ut omittam, quod hoc habet*

bet virtus in se, sicubi eam esse audimus, statim vt amemus, ac imitari cupiamus) vt me ad te amandum non inuitauerit solum, sed etiam pæne coegerit. at quî fieri potest, vt quis tuas virtutes prædicari audiens, etiam si ei, te ut viderit, nunquã contigerit, non incredibili tui amore, ac desiderio ardeat? haud ita difficile est aliquem prouectiore ætate existere, qui vnam, aut alteram scientiam optime calleat: hoc quidem mirandum est, quomodo in primis adolescentiæ annis tantam ipse omnium liberalium doctrinarum cognitionem acquirere potueris. accedit illud, quod cum maxima barbaries in bonas litteras irrepserit ex eorum scriptis, qui politiorem doctrinam contemnunt; tu his temporibus eas ipsas suam in veterem elegantiam restituere conaris, vt qui cultioribus studijs dediti sunt, te profecto non modo, qui ab omnibus ameris, verum qui etiam summis laudibus orneris, dignum existiment. en habes, cur & vehementer, & perpetuo gaudeas, cum ea iam consecutus sis, naturæ dono, an studio, atque industria? quæ vix alij, cum multum desudauerint, & totam in litteris ætatem consumpserint, consequuntur; vt, quando adolescens nunc tantus es, adulta ætate qualis futurus sis, conijcere possimus. quocirca huic Nobilissimo Gymnasio in eo consultum esse egregie existimo, quod tu præcipue electus es, qui de loco superiore iuris ciuilis scientiam interpreteris, &

singularem industriam tuam omnibus probes. quo quidem in munere perfecti interpretis personã ita sustinere te audio, ut singulari in eo, maximeq; propria laude dignum te præbeas, simulq́; ostendas, non magis te ab hoc amplissimo loco splendorem accipere, quam ei reddere. hinc mirum non est domum tuam a doctissimis uiris frequentari, qui etsi te difficiles iuris nodos soluentem publice audiunt, tuis tamen sermonibus priuatim, & proprie frui uolunt. neque uero in litteris ita uersaris, ut quemadmodum ijs, qui nunc uiuunt, uoce satisfacis, non posteris quoque scriptis satisfacere uelis; sed utrumque egregie amplecteris, & ocium illud, quod a publico legendi munere tibi conceditur, totum in scribendo consumis. ea uero, quæ adhuc scripsisti, Alzarius noster ita probat, ut summis laudibus efferat, digna existimans, quæ in manibus omnium uersentur. meas uero in manus cum nondum peruenerint, tanta mihi eorum scriptorum auido, quæ politiorem doctrinam contineant, legendi cupido incessit, ut non prius quieturus sim, quam ipsorum mihi copia fiat. perge adolescens publice prodesse. nullus labor præclarior existimandus est, quam qui pro communi utilitate suscipitur; nec quicquam præstantius, quam de hominibus bene mereri. Laboribus uero tuis ipsam immortalitatis gloriam præmio futuram sperare debes. quod extremum restat, quidquid ualeo, tibi polliceor, ac defero:

defero: in ijs enim rebus, quas ad te pertinere intelligam, aut re ipsa, si potero, aut aliqua saltem amoris, gratiq; animi significatione tibi satisfacere conabor. Vale. Genua. Oct. Kal. Sept. CIↃ.IↃ.XCVI.

FABIVS BELLONIVS S. D. IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGÆ.

CVM *litteris tuis, humanitate, & studio plenissimis, tandem respondissem: accepi a te alteras Ticino allatas, eodem plane non solum argumento, verum etiam exemplo. ex quibus cognoui, nihilo citius meas tibi redditas fuisse, quam tuas mihi. neque enim libet coniectare meas intercidisse; tametsi, quo tempore tu posteriores scripsisti, eæ iam ad te peruenisse debuerant: si tamen perierunt, obsecro, fac id vt quamprimum sciam: siquidem illarum iacturam exiguus exscribendi labor sarciet; vt neque tu durius quidpiam de me suspicere, neque ipse doleam, quæ maxime cupio, nimirum tibi obsequi, & omni officiorum genere respondere, his me non mea, sed aliena culpa frustrari. Bartholomeum Mainerium, cum maiorum suorum nobilitate, tum sua ipsius eruditione, morumq; elegantia perquam illustrem Virum, qui nominis, & virtutum suarum fama, & claritate vel exteros, & pro-*

cul remotos homines ad se amandum, & colendum allicit, impellit, trahit, non dubito, quin tu probe noris, immo amicitia, & necessitudine tibi coniunctum habeas. ei si multam salutem a me nunciabis, ac meo nomine gratias ages, quod me diligat ignotum, & faciat non parui; cuius rei haud ita pridem mihi fidem fecit Philippus Masinus I. C. præstantissimus: magnam a me inibis gratiam, & ille non iniucundam ducet hanc meæ erga se beneuolentiæ, & obseruantiæ significationem. Vale. E Foro Fuluij. VII. Kal. *Nouemb.* CIↃ.IↃ.XCVI.

FABIVS BELLONIVS S. D. IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

FECIT *me certiorem Vincentius Alzarius priores meas ad te litteras, quarum in alteris* VII. Kal. *Nouembris datis mentionem faciebam, tibi redditas non fuisse: quamobrem earum exemplum nunc ad te mitto, non quod ego mea tanti facere consueuerim, sed, ut tu me officio meo, quod antea fortasse requisiuisti, plane non defuisse intelligas; neque te subtrahas huic palæstræ, ad quam ipse me prouocasti. Ad vnas tuas habes iam ternas meas. Vale. Ticini, Non. Decemb.*

FA-

FABIVS BELLONIVS S. D. IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

ET *serius accepi epistolam tuam, & eo tempore accepi, quo animo eram a scribendo maxime alieno, vt pote publicis occupationibus, ijsq; molestissimis, vt numquam antea, oppresso, debilitato, ac, pæne dicam, fracto: iamq; Forofuluianos meos reuisere cogitabam, ita vt, quæ ad scribendum in primis necessaria est tranquillitas mentis, & corporis, vtraque me destitutum viderem. Et quamquam motus ille, & agitatio nondum resedit, quin immo mihi cursandum est modo in hoc, modo in illud opidum: tamen vt officium, quod a me tibi iamdiu deberi fateor, & vero etiam profiteor, tandem aliquando præstem, mitto ad te, quidquid hoc est, quod inter equitandum meditatus exaraui. Qua in re valde vereor, ne Alzarij erga me amor, ortus ille quidem ex morum nostrorum similitudine, & ingeniorum facilitate, sed tamen* παραβλίπων *& mea omnia longe maioris faciens, quam debeat, mihi, & tibi, atque ipsi fraudi sit. Nam vbi ego exspectationi, & opinioni de me vestræ respondere nequeam: & illum, quod nimis honorifice de me prædicarit, & te pudebit, quod ei, atque adeo amicitiæ ple-*

plæraque tribuenti, plus fidei adhibueris, quam par erat; me autem pigebit magnis laudibus a vobis elatum, & summis viris adscriptum, mox quasi de gradu deijci. Ita enim mecum agitis, ita me compellatis, ita excipitis, ac si cum Alciato quopiam, vel Corasio, vel Cuiacio vobis res esset; ea mihi tribuitis præconia, quibus si me dignum aliquando fore confiderem, ipse iam serio triumpharem, & vos nacti essetis virum, qualem animo concipere, verbis describere, quærere, haud sane difficile sit; inuenire autem longe difficillimum, vt ne inueniri posse infitias eam. Et posthac audebitis me talem, ac tantum ducere, & subinde adolescentem dicere? quasi vero illa in adolescentem cadant, quæ humanum ingenium vix, ac ne vix quidem longissimo tempore assequi posse, quotidie querimur. At narro tibi, mi Sauli, pridem mihi canos, tametsi intempestiuos, vtrumque tempus occupasse: vt mirum non sit, si hi multo pallore, & macie coniuncti non nihil auctoritatis mihi apud vulgus attulerunt. Neque tamen negarim me sic satis acri natum ingenio, multorum annorum spatio, labore, diligentia, industria aliquod doctrinæ adiumentum comparasse: verum vt dem me a carceribus cursum non male instituisse, quantum mihi restat ad metam? a qua tam procul absum, quantum me prope accessisse autumas. Proinde cum nunc nuper Nouas diuertissem ad amicum,

cum, & inde Genuam cogitarem, vt te, Mainerium, Alzarium, aliosq; praeclaros viros viserem, quibus cum ego fere tam libenter vixerim, quam cum Tullijs, Hortensijs, Maecenatibus: haec vna caussa fregit consilium meum, quod animaduerterim virgini deformi non captandã esse lucem, non optanda theatra; quamq; vos de me spem concepistis, eam me nec augere, nec sustinere posse: verum potius meam, simulq; vestram existimationem in discrimen adductum iri. quamquam non ignoro, uos, qua estis prudentia, aequitate, urbanitate, etiam si me hominem esse longe infra famam comperissetis, sedulo fuisse dissimulaturos. Ad epistolam tuam sigillatim respondere, & grauitatis tuae, & pudoris mei ratio me prohibet. Illud nequaquam praetermiserim, non dubitare me, quin tantam istam, qua te teneri ais, scriptorum meorum cupiditatem his nugis expleuerim: siquidem fieri solet, vt uel ipsi librorum helluones, si in aliquem scriptorem ineptum inciderint, ne unam quidem, & alteram paginam legere sustineant: quemadmodum vehementem sitim exiguus aquae turbidae, & limosae haustus uidetur exstinguere. Vale, & me amare perge, quando ego te, sicuti debeo, facio plurimi; nec quidquam tam arduum esse puto, quod non tua, tuiq; similium caussa velim. E Foro Fuluij. v. Kal. *Octob.*

LEAN-

LEANDRO INVREÆ, SILVESTRI FILIO, Rusticanti.

NÆ tu recte, & sapienter facis, Leander mihi cariſsime, qui, dum hic nos huiuſmodi calores perferimus, ut ijs mundus incendi videatur, urbe relicta, ruri te oblectas, vitalibusq; auris te recreas. Sed ut calores omittamus; quid, quæſo, hic habemus, quod nos delectare poſsit? Ciuitas in maximis rei frumentariæ anguſtijs verſatur, & eam antea ſatis pulchram, nunc caritate annonæ pæne deformatam non ſine magna commiſeratione aſpicimus: quamquam humanas calamitates magis ipſe deplorem, quam quod id hiſce hominum moribus accidere mirer. addo etiam, quod multos ferre non poſſum, qui mihi ante oculos obuerſantur, quiq; magis auri, quam virtutis ſplendore capti, nihil præter diuitias ſibi curandum eſſe exiſtimant. Sed, dum procul a me viuis, uereor, ne te mei capiat obliuio. quam cauſſam habes, fortaſſe inquies, cur ita dubites? nimirum hanc; quod uſu fere venire uideo; ut res prope ſtantes amemus, procul remotas obliuiſcamur; quodq; nulla adhuc munuſcula ad me miſiſti, qualia tibi iſtic ruri naſcuntur. an eſſe dicat quiſquam te uerum amicum? quid eſt, quæſo, amicitiam contemnere,

nere, si hoc non est? neque ea te excusatione tueri potes, quod ad fructuum copiam, & bonitatem attinet, cum istis villulis ita male actum esse, vt amicos nullo modo munerari possitis: cum illud contra tu non ignores, & me tantum quærere, quantum satis sit modicæ mensæ, & amicorum munera non ex copia, aut bonitate, sed ex animo spectare solitum esse. quamobrem non est, cur ita te excuses; & caussam probabilem, quam afferas, nullam habes. Vides ne me per litteras tecum iocari? liceat mihi per humanitatem tuam; alioquin verus amor munera non desiderat. quid? cum propter virtutem, supra quam dici possit, te diligam, propter munera quî te magis diligere possem? satis superq; habebo, si me tui amantissimum redames, atque me tuo semper amore dignum existimes. hi enim paullo dulciores sunt fructus, quam qui ex villula ista tua percipiuntur. quid agas, & quomodo exercitationibus tuis vtaris, scire velim: ijs enim valetudinem ipsam non modo confirmari, sed etiam conseruari quis ignorat? sed inter omnes exercitationes eas magnopere commendari, in quibus corporis motum animi consequitur oblectatio, te fugere non arbitror. Ex quo quidem numero venationem illam esse videmus, quæ dispositis retibus, & viscatis ramis, quibus incautæ aues decipiantur, perficitur: siquidem, dum ex volucribus alias inuolutas, atque impeditas, alias alis, pedibusq; implicatas

plicatas vides; dum eas huc, & illuc cursans manibus prehendere pergis, & corpus remissiori motu exercetur, & animus incredibili pascitur voluptate. Librum illum tuum de tuenda valetudine, quo non modo tibi, sed amicis etiam tuis consulere soles, vt in manibus semper habeas, atque frequẽter, accurateq́ legas, te etiam, atque etiam rogo. quid? oblitum ne me putas illius temporis, cum apud Bartholomaeum, & Antonium Borzonios fratres, modestissimos adolescentes, vna cum Ioanne Thoma Iustiniano viro non minus sua virtute, quam Familiae dignitate claro, in eorum Galbiana villa diuersabamur? quae consilia tunc nobis dedisti ad offensiones in cibis dijudicandas, quam vtilia, quam salutaria? hoc vnum non tacebo, quod, cum ea die coagulatum lac initio mensae positum liberius comedere vellemus; id prius nos facere prohibuisti, quam nonnulla menthae folia, quae perferri iusseras, sumeremus. O medicum singularem. Sinibaldus Ferrarius noster in eo suburbano, qui ab arena nomen accepit, cum nobilissimis Grimaldis adolescentibus rusticatur. quid agat, nescio; sed eum nunc vxorem habentem liberis magis, quam libris operam dare existimo. Ioannis Baptistae Senaregae Iurisconsultorũ peritissimi Orationem remitto; eam libenter legi, mirifice placuit; ordinis vero praestantiam maxime sum admiratus. quod scribam, noui nihil habeo, nisi fortasse cum hortorum cu-

stode

ſtode male actum eſſe me ſcribere velis. ſed futurum non dubito, quin, quemadmodum ipſe ab aſello illo, qui amores ſuos intempeſtiuo clamore interpellauit, pœnas olim ſumpſit, ſic ab ijs, qui nunc egregias ſuas virtutes, atque præclara facta ex hominum memoria delere conantur, grauiſſimas pœnas ſumat. Sed hæc fortaſſe non aſſequeris. fac, vt valeas, & nos aliquando inuiſas. nam quamuis tuum mihi ſpectrum ſemper in animo verſetur, quo quidem, dum a me abes, nihil mihi iucundius accidere ſolet: maiore tamen volupta- te afficior, cum vna ſumus, cumq; non ſolum ex oratione, ſed ex vultu, & oculis, qui indices animi ſunt, alter alterius erga ſe amorem perſpicere poteſt. Vale. Genua. Pridie Id. Sept. CIↃ. IↃ. XCVI.

IO. PAVLLO IOLITO FERRARIO, GABRIELIS FILIO,

Venetias.

QVOD *multorum inconſtantiam expertus eram, Ioannes Paulle vir humaniſſime hanc animo conceperam opinionem, vt exiſtimarem nullum eſſe amicum tam fidelem, cui omnes animi ſenſus aperire poßis; neque amicitiam vllam ita diuturna conſuetudine confirmatam, quæ non aliqua tandem offenſione infir-*

metur. Sed postea quam tecum amicitiam constitui, quanto in errore versatus fuerim, cognoui, & illud me fefellisse animaduerti, quod ex priuatis eorum exemplis vniuerse, ac generatim ceteros omnes metiebar. nam omnia, quæ ad amorem conciliandum apta sunt, ita perfecte in te reperiuntur, vt me tibi haud mediocriter deuinctum fatear, mihiq; gratuler, quod eum certe amicum nunc habeam, qualem maxime optabam: eoq; magis, quod nostrum vterque ita vicissim, & amat, & amatur, vt par amicorum arctioribus vinculis adstrictum nullum sit, amicitiamq; nostram diuturnam, ac stabilem futuram animaduertam. Equidem, quod paternæ virtutis non immemor Patris similiorem in dies te præbeas, quamquam sane gaudeam, minime tamen miror. ea enim sententia vera semper est habita, ex bonis bonos oriri, & ex optimis plantis optimos percipi fructus. quis enim recentiorum scriptorum non loquitur, quibus moribus, qua probitate Gabriel Pater tuus fuerit præditus? quem illi in domo administranda, domesticisq; institutis seruandis anteponemus? huc vt bonus Paterfamilias omnes curas, cogitationesq; contulerat, vt liberi sui, domesticiq; omnes probitatis fama florerent; prodessent omnibus; nulli obessent; nihil dicerent, facerentue, quod non ad vnius Dei gloriam, hominumq; vtilitatem posset referri; vt ex vestra tam recte constituta domo ad

alias

alias domos, modestiæ, & tranquillitatis exempla deducerentur. ad quam quidem vtilitatem totus conuersus, cum multa tum antiquorum, tum nostrorum hominum scripta in mendis, & sordibus obscura iacerent, tanquam e tenebris ea educens, præclaris typis, & ornamentis ita illustrauit, vt legentium oculis nihil clarius esse possit, ipse vero ceterorum omnium quasi luminibus obstruxisse videatur. litteratos homines quis nescit ab eo humaniter semper exceptos, liberaliterq; tractatos fuisse? vt mirum non sit eorum ita obtinuisse beneuolentiam, vt nullus ex his fuerit, qui non cum istam Ciuitatem videre vehementer cuperet, tum vel in primis Gabrielis Ioliti Ferrarij videndi, & alloquendi desiderio arderet: vt merito, quemadmodum ille doctißimis viris gratißimus vixerit, ita nunc ab eis præclaris ingenij monumentis celebretur. Illius per vestigia ad summam laudem peruenit Ioannes frater tuus, & relictam sibi ab eo gloriam haud parua accessione cumulauit; qui quam ijs artibus fuerit ornatus, quæ libero viro dignissimæ sunt, præclara illius scripta inditio esse possunt. Sed de illo parcius loquor, quod vereor, ne vulnus illud refricem, quod ex illius interitu accepisti, quodq; nescio an vlla temporis medicina sanatura sit vnquam. nam cum paucis ab hinc annis ad eum scripsissem (nondum enim vita excessisse cognoueram) & tuas in manus litteræ peruenissent,

sent; recordatio illa, tanquam quædam retractatio dolorem tuum ita auxit, vt lachrymas haud continere potueris. te igitur ex tali Patre natum summæ vitæ integritati summam humanitatem coniunxisse; ab ijs rebus abhorrere, quibus sæpe pernicies comparatur, eas autem amplecti, ex quibus vera gloria nasci potest, quis miretur? taceo quod in ijs litteris, quas ad me quotidie mittis, quæq; diligenti quadam negligentia scriptæ quo magis artem dissimulant, eo magis artificiosæ mihi videntur, Fratris doctrinam non minus referas, quam in vita Patris mores, disciplinamq; referre soleas. quis in amicitijs tuendis diligentior? quis in amicis adiuuandis promptior, atque alacrior? multa prætereo, quæ mea caussa studiose fecisti: vnum illud non prætaribo; quod, cum tibi negocium dederim, vt multos libros, qui in officinis non exstant, sicubi eos latere inaudires, statim erueres, & ad me quam primum perferendos curares; illud tam diligenter agis, vt nihil prætermittas, quo satis in hoc genere desiderio meo fiat. nec illud etiam omittam, quod ex multis libris adhuc mihi a te missis eos mihi semper dono dederis, qui typis vestris exierint impressi. Sed non faciam, vt omnia nunc de te dicam, quæ vere dicere possem, tum quia ea non est hic commemorandi locus, tum quod vereor, ne ipsi tibi molestus sim, qui conscientia ipsa contentus humanis laudibus celebrari haud facile pateris. tuis vero

ro

ro erga me officijs, atque studijs equidem lætor, sed ita, vt in magna simul molestia verser, quod, cũ tu in meis re[illegible]nihil vnquam aggressus sis, quod non perfeceris, ego contra idem raro sim consecutus in tuis, vereor, nisi voluntate ipsa contentus sis, ac eam satis esse putes, ne tibi videar esse ingràtus. non merito igitur te amo tot suauitatibus ingenij præditum? non iure igitur de tuo amore, tuaq; mihi amicitia gratulor? Equidem libenter id facio, faciamq;, dum viuam; &, vt præsentes non modo, sed posteri etiam, & te mihi fuisse amicum, & me tibi, omnes intelligant, operam dabo. Vale. Genua. IIII. Idus Nouemb. CIↃ.IↃ.XCVI.

LAVRENTIO FABRO.

Lucam.

PROFECTO quanto magis tuam hinc profectionem considero, tanto maius ex ea Ciuitas nostra incommodum cepisse mihi videtur. ex tua enim consuetudine maximam iucunditatem, vberrimos vero fructus ex industria percipiebamus: tuaq; nos ita alliciebat morum elegantia, vt sæpissime tecum esse optaremus; tuoq; nos ita commouebas exemplo, vt te in optimarum artium via pergentem alacriter sequeremur. nunc vero, te absente, omnino iacemus; ac tantum abest,

abest, vt eo peruenire poßimus, quo te præeunte adspirabamus, vt in medio cursu nos vires deficiant, omnisq; nostra tanquam in salebra hæreat industria. quod cum plane intelligamus, si tu nostra fortasse non libenter, nos tua certe inuiti consuetudine caremus; doloremq; illum, quem ex tuo discessu suscipimus, nulla alia re, quam spe tui ad nos reditus, leuatum iri arbitramur. omnes fere dies, cum hic eras, domi te conueniebamus: erat illa quidem parua, atque angusta domus, sed eleganti suppellectili ornata, doctissimisq; viris semper referta. hic de litteris, aut de rebus ad litteras pertinentibus loquebamur, & suaui quadam dissensione veritatem in occulto latentem inquirebamus. cum vero Torquatus Tassus Poeta haud paullo melior, quam ceteri omnes, nobis in delitijs, & amoribus esset, dum te egregium illius Poema legentem audiebamus, quanto pulchrius id nobis videbatur? vt illud animaduerteremus, præclara hominum scripta, haud parui referre, quo uocis sono, quaq; pronunciatione legantur. hos congressus maximæ consequebantur utilitates; sed illæ mihi cum multis erant communes; aliæ erant meæ præcipuæ. quoties tuam in me fidem, beneuolentiam, ac constantiam sum expertus? memoria teneo, cum meam quandam elucubrationem hic imprimi cuperem, te mihi in ea re maximo fuisse adiumento, ac negocium illud tibi curæ fuisse, æque ac

si tuum

si tuum fuisset negocium. quoties obtrectatorum meorum impetus, tanquam saxo fluctus, tua auctoritate fracti sunt? quid? non ne maximum a te habeo beneficium, quod te auctore Gabrielis Chiabreræ Poetæ summi amicitiam sum consecutus? Sed nolo nunc omnia enumerando persequi, quæ mea caussa libenter fecisti. alius dabitur fortasse commemorandi locus. ea enim ex animo nunquam exciderunt, sed ita hærent, vt ipse mihi pæne succenseam, quod, quæ mea imbecillitas est, pro tantis acceptis beneficijs, nullam adhuc tibi gratiam referre potuerim. quod si talis facultas in me esset ad referendam gratiam, qualis ad habendam animus est; næ tu me magis, cum alios remunerarer, quam, cum beneficium acciperem, lætari videres, & re ipsa potius, quam verbis me gratum esse cognosceres. vides, mi Laurenti, te absente, iacturæ plurimum nunc factum esse in studijs nostris. id aliqua ex parte resarcies, si ad nos sæpe scribes, &, si quid pariet ingenium tuum, etiam mittes. Itaque cum in Collodiana Villa summo fruaris ocio, maioremq; diei partem legendo, aut scribendo traducas, vt operam dare velis, ne, si dulcissimis sermonibus tuis caremus, tuis quoque suauissimis litteris, elegantissimisq; scriptis careamus, te etiam, atque etiam rogamus. Ego equidem si meas litteras tibi non iniucundas accidere cognouero, ad te sæpe scribam: neque verebor, ne mihi

ſcribenti ſententia deſit; amor enim ipſe, qui nos ſæpe ad ſcribendum impellit, etiam ſi, quod ſcribamus, nihil ſit, mihi dabit argumentum ad te litterarum. Nunc vero, ſi quid noui fortaſſe ſcire cupis, hæc accipe. ex eo enim tempore, quo hinc diſceſſiſti, huiuſmodi inſecuta eſt frugum omnium pænuria, rebusq́ ad viuendum neceſſarijs huiuſmodi fuere impoſita pretia, vt nemo fere ſit, quin vbi vis, quam hic, vbi eſt, viuere malit. Superioribus diebus ad aures noſtras acerbiſſimus, minimeq́ a nobis exſpectatus nuncius allatus eſt, Hiſpaniarum Regem, quas Genuenſibus pecunias debet, in præſentia ſoluere nolle. hinc fides vbiq́ anguſtior; vt nullum iam inter negociatores contrahatur negotium, omnisq́ ſublata videatur vitæ communio. i, confide opibus, quæ, cum ex fortuna pendeant, ad eius arbitrium & amittuntur, & retinentur, & in vnius hominis voluntate, ne dicam libidine, ſæpe poſitæ ſunt. multi ex Nobilitate noſtra Principes Viri de rebus ſuis ſolliciti nauim conſcenderunt, & in Hiſpaniam profecti ſunt, anni quidem tempore difficillimo, ſed omnem moleſtiam, omnemq́ vincet difficultatem haud dubia ſpes, quam de fortunis recuperandis, ſuſceperunt Regis benignitate confiſi. Nihil præterea ſupereſt, quod ſcribam. Vale, & me ama. Genua. VI. Id. Ian. CIↃ.IↃ.XCVII.

QVOD

QVOD *nunquam euenturum credidissem, id contigit, vt, insciente me, Mediolanum te conferres. magnum ex hac re dolorem accepi. amicitiam enim nostram vel te oblitum esse, vel certe parui fecisse argumentatus sum. quod a te factum esse eo magis miror, quod, cur ita faceres, nihil vnquam a me commissum esse intelligo. Illud etiam ad dolorem accedit, quod, cum hanc tuam me profectionem celare volueris, profecto aut omnino iudicij expers tibi visus sum, qui de ea nihil iudicare potuerim; aut certe maleuolus, qui, si eam e re tua fore cognossem, illius tibi suasor, & auctor futurus non fuerim. Equidem, quod verum decet amicum, te fecisse non arbitror, & tuam in me beneuolentiam vehementer requiro. Sperabam certe te pro tua virili parte operam daturum, vt non modo de amicitia nostra nihil detraheretur, sed mutuis studijs, atque officijs illa in dies auctior esset. Sed illam nunc spem me fefellisse intelligo; quin etiam ex hoc tuo facto conijcere possum, etsi vere antea me diligere videbaris, totam illam fictam fuisse beneuolentiam. ego vero qua fide, atque constantia amicitiam nostram semper coluerim, testis tute es: nam vt ad amicitias instituendas non temere adducor, sic institutas ita tueor, vt non minus in hoc constantiæ, quam in illo consilio tribuam. etsi rursus is ego sum, qui nullam tam libenter amicitiam*

appetierim, quin eam, si opus fuerit, æque libenter recusauerim. Sed ita te fortasse excusabis; quo tempore de discessu cogitabas, te nihil mihi negocijs impedito significare potuisse; ita factum esse, ut discedens satis officio minime feceris. hanc ego excusationem non libenter accipio; ut enim illa probabilis sit, non ea tamen te satis purgatum esse existimo: siquidem debitum amicitiæ nostræ officium præsens quod prætermiseras, id absens per litteras præstare debebas. quod si forte alias finxeris caussas, ut es ingeniosus, scito multa esse, quæ imperitos homines facile excusant, quæ non item doctos viros a culpa defendunt. itaque, ut varijs nectendis caussis te ab omni reprehensione vindicare velis, unde hoc tamen efficere possis, minime video: ut satius fuerit te erratum tuum libenter agnoscere, quam illud pertinaciter defendere. verum, noli putare me nunc, cum ad te scribo, eo potissimum nomine id facere, ut tui defendendi, aut excusandi onus suscipias. ego ne, cum in discessu tuo salutationis officium neglexeris; neque postea, Mediolanum ut ueneris, hanc ipsam negligentiam litteris excusaueris; ut nunc, cum minime velim, minimeq; opus sit, te mihi satisfacere cupiam? sed ob hanc caussam ad te scribo, ut intelligas, me non ita iudicij expertem fuisse, ut tuæ partes in amicitia quæ essent, non animaduerterim, & cum animaduerterim, non ita maleuolum, ut te eas abijcientem

tem monere noluerim. nam deinceps fortasse pudore adductus non tam temere ab officio discedes, neq; cum ceteris amicis ages eodem modo. Vale. Genua. IIII. Kal. Aprilis. CIↃ.IↃ.XCVII.

CORNELIO ET AVGVSTINO, SPINVLIS, AC IOANNI BAPTISTAE MARINO.

QVOD summa inter vos necessitudine iuncti, totos fere dies vna estis, Adolescentes Nobilissimi, quamquam sane gaudeo, minime tamen miror. nam, vt ætate fere pares, ita consimilibus moribus præditi estis, ijsdemq; studijs, ac disciplinis maxime deditis. huiusmodi vero amicitia quanto sit iucundior, cum eam morum similitudo coniugauerit; eaq; quanto sit firmior, cum sola virtute nitatur, quotidie certius intelligitis. Ac amicitia quidem ad vitam agendam res ita necessaria est, vt ea carere nullo modo possimus. quis enim est, qui sine amicis hanc sibi vitam optabilem ducat? habere prosperis rebus amicos, vna qui tecum gaudeant, gaudium auget; aduersis pariter qui doleant, dolorem imminuit. vt in hac vita nihil magis expetendum, nihil charius, vel iucundius esse posse, quam in vtraque fortuna amicis abundare, omniumq; beneuolentiam tenere, fateamur necesse sit. Ac in multis

quidem

quidem commoditatibus, quas ex amicitia vestra ipsi percipitis, illa quidem maxima iudicanda est, quod neque amicorum, neque librorum tædium uos unquam capiat. nam, ubi multas diei horas in libris posuistis, & legendo defessi estis, illico ad amicos confugitis, & reliquã diei partem suauissimo cum illis sermone iucundissime traducitis. sic ex consuetudine quotidiana modo a libris ad amicos, modo ab amicis ad libros traducti, vosq; ipsi in hoc quasi curriculo identidem exercentes, illud consecuti estis, quod amicitia uestra, ut optabilis, & iucunda, ab omnibus expetitur, progressus uero in studijs omnes admirentur. ad quæ quidem studia cum per ætatem rerum accesserit usus, dubitandum non est, quin Maiorum uestrorum honores, ac dignitates, maioribus dignitatibus, atque honoribus accumulaturi sitis. optime quidem vitam instituistis viam uirtutis ingressi, quæ ad immortalem gloriam ducit, uia uoluptatis neglecta, qua plærique adolescentes se perditum eunt. quod autem in legendo sæpe comitem uobis assumitis Aloysium Laurentium, recte uos quidem, & sapienter facitis. nam cum ipse, quo minus oculis, eo magis & mente, & animo uideat; ea uobis profecto patefaciet, quæ alij, ut hebetes minus clara, alij uero ut cæci prorsus obscura esse existimant: ut, si unus ex uniuersis eligendus sit, alium acutiore ingenio haud ita facile reperiatis. neque uero reprehendo,

immo

immo uehementer laudo, atque probo, quod subcisiuis horis animi caussa uel iocis, facetijsq́, indulgeatis, uel ijs artibus operam detis, quibus oculi, auresq́ tenentur. quî enim quæ hanc uitam amariorem efficiunt, perferre possemus, nisi ea, amicorum suauitate, dulci otio, uel negotio quasi temperamento aliquo condirentur? est etiam suus in uita requieti locus, in eaq́ ipsa requie seria licet ingenuo temperare lusu, inter amicos iucundißimis de rebus differere, sales lepidissimos iacere, familiariterq́ iocari. non ne legistis summos illos uiros Africanum, Lælium, aliosq́ nobiles Romanos, siquãdo a Reipublicæ curis animum relaxare uoluerint, Vrbe relicta, in amœniora loca secessisse, ac ibi paullo laxius, & solutius uixisse? in hoc autẽ vitæ genere vobis mirifice satisfaciet. quem idcirco uobis socium sæpe adiungitis, ut habeatis, unde sumere poßitis ad otium temporis oblectandum. quis in consuetudine facetior? quis suauior, atque iucundior? potest ne quisquam tam seuerus esse, ac tristis, qui non ad hilaritatem a seueritate traducatur, cum illius sermonibus adest? nam cum uix ipse litteris etruscis tinctus sit, ac in ipsa metiendi carminis ratione sæpißime peccet, tamen summum se Poetam profitetur, ac ceteros omnes ita carpit, ut ne Franciscum Petrarcham quidem, ac Ludouicum Ariostum excipiat; si quidem alterum in multis dormitasse, alterum uero e Poetarum numero exclu-*

den-

*dendum censet. i nunc tu, & conterito in peruolutandis libris uitam, atque ætatem tuam, cum hunc uideas sine ullo labore optimum multo post homines natos Poetam, atque Oratorem unum exstitisse. profecto dum illius adspectu, atque sermone frui licebit, maxima nunquam uobis est defutura uoluptas. itaque, quamuis hoc per se mihi dolendum sit, quod propter occupationes minus sæpe, quam uellem, uestra consuetudine fruar: tamen, pace vestra dixerim, illud multo magis mihi dolendum est, quod * leporem, facetiasq; crebro regustare haud possim. plura me scribere cupientem occupationes impediunt: finem scribendi igitur faciam. at uos amandi, dum ullus in me erit sensus amoris, finem nunquam faciam; ut, quamuis ceteris rebus uobis me inferiorem confitear, ex hoc tamen quasi mutui amoris certamine, amore superior sim discessurus. amoris uero mei singularis erga uos, uelim ut has litteras, tanquam pignus, libenter accipiatis. quas quidem inter uos communes idcirco dedi, ne, si singulis singulas misissem, uos tam arcto amoris uinculo adstrictos litteris meis distinguere, & separare uiderer. Genua. Ex ædib.* Kal. *Ian.* CIↃ. IↃ. XCVII.

BAL-

BALTHASSARI AYROLO,

Senas.

CVM ex ſuauiſſimo, optatiſſimoq; Ioannis Thomæ Iuſtiniani noſtri aduentu magnam voluptatem perceperim, quod illius conſuetudine nunc mihi frui datur, qua carui tot menſes: maiorem tamen ex ipſius oratione dolorem me percepiſſe velim credas, quod ex eo intellexi te ſicut antea litteris, ita nunc bellicis artibus operam dare, & in Pannoniam proficiſcendi conſilium cepiſſe. Verſantur mihi ante oculos optima Mater tua, optimiq; Fratres, quos tu afflictos in maxima ſollicitudine, atque animi mærore relinquis. qui cum antea magnopere dolerent, quod a ſe tandiu abeſſes, nunc lacrymare coguntur, quod diutius ſis abfuturus, quodq; cum te vnum haberent vnicum in domeſticis malis ſolatium, id vnum ſe perdidiſſe nunc videant. Nos vero, qui tua maxime delectabamur iucunda conſuetudine, ita macerat, atque conficit diſceſſus iſte tuus, vt vitæ nos prope ipſius odium capiat. Ergo omnem humanitatis ſenſum ita exuiſti, vt longe a nobis diſcedere, longe a nobis viuere velis? tu ne, qui nobis ipſa pæne vita charior es, verſaberis inter Scythas, ceteraſq; barbaras gentes aperto cum vitæ diſcrimine? hoc vnum mihi reſtabat pluribus malis op-

presso, vt ex amicis alij vita excederent, alij viuerent patria procul. in qua quidem, cum nobili loco natus sis, cumq; illius rei tanta sit vis, vt ille apud Homerum sapientissimus Vlysses, modo sibi patriæ fumum aspicere contingat, æquissimo animo a vita sit discessurus: ipse tamen eam ita negligis, vt illud, Quæuis terra patria, tibi plane hæsisse videatur. hæc sunt, quæ me, vt hoc tuum proficiscendi consilium reprehendam, impellunt. At contra, cum, quo in statu res tuæ sint, rursus considero, in alteram partem multa occurrunt, quæ me, vt illud laudem, atque probem, facile inducunt. Nam, cum tibi uelut solidæ laudis metam exquisitam quamdam, & reconditam doctrinam proposuisses, viam tu quidem ingressus eras, qua ad optimarum artium cognitionem contenditur, ac per eam iam tantum processeras, vt eo, quo institueras, breui tempore peruenturus esses: sed quæ præclaris conatibus semper aduersatur, progressus tuos fortuna retardauit, atq; tibi cupide procedenti aditum ad eam gloriam interclusit. moritur Pater tuus, in quo spes omnes tuas, cogitationesq; sitas habebas, & ille tibi moriēs spes omnes tuas, cogitationesq; præcidit. Patris amissionem patrimonij sequitur amissio; quippe a fortuna uix unum est iniectum telum, cum illico alterum instat. adeo ut, cum hæc sese tibi impedimenta simul obiecerint, ab incæpto desistere, & in medio studiorum cursu insistere

insistere coactus sis. In tantis tamen malis, quod sapientis est, nunquam animo defecisti, nunquam tibi fortitudo, nunquam prudentia defuit, sed semper constans, semper paratus fuisti, quicunque accideret casus, hunc æquo animo ferre, & quod vna non succederet, altera aggredi uia. nemo igitur sapiens te ut inconstantem reprehenderit, si litteras armis mutare decreueris, si quoduis potius periculum tibi adeundum existimes, quam a sperata bellica laude, militariq; gloria discedendum. at Vrbis aspectu cares. scilicet, quia hæc superbe exstructa ædificia haud quotidie contemplaris, quæ tibi præsens ne visenda quidem existimabas, id tibi dolendum crediderim. ceteris de rebus, opinor, non laboras. neque enim quæ a tuis Ciuibus aguntur, hæc tibi cum eis conueniunt, aut placent. ego equidem, si in ea Ciuitate, in qua natus es, eo progressa sit hominum inscitia, atque auaritia, vt virtuti tuæ locus omnino sit nullus; quiduis potius ferendum censeo, quam in tanta perfidia, atque iniquitate versandum. illud te fortasse excruciat, quod Matris tuæ, Fratrumq; tuorum aspectu te subtrahis. id ego minime miror. ægre enim diuellimur ab amicis; quanto magis a Parentibus, vnde uitam ipsam, qua fruimur, accepimus? sed, si diligenter attendes, plus fortasse in ea re momenti esse intelliges, quam ut nihil dolere; minus certe, quam ut te omnino debeas excruciare. nam, quia si

hic adesses, ipse auxilio destitutus, vbi re opus esset, tuos re iuuare minime posses, eorum iccirco aspectus plus tibi doloris, quam voluptatis afferret; vt eorum absentiam æquius ferre debeas, ea spe nitens fore, vt ad eos breui te referas, eosq; ita subleues, vt e fortunæ fluctibus aliquando emergant, & tranquille, placideq; vitam traducant. neque illud valde te moueat, quod amicorum consuetudine careas; siquidem litterarum sermone sæpe coniungimur, quamuis locorum interuallo disiuncti: & amicitiam nostram, vt antea firmam, ac stabilem expertus es, eamdem nunc esse, & perpetuo futuram existimes licet, cum virtute penitus hæreat. huc accedit, quod non bellum illud ingrederis, in quo aut ciues belluarum more pugnent inter sese, atque prælientur, aut in quo Italicis agris vastitatem, vrbibus incendia milites minentur; sed illud bellum, quod pro iustissima caussa susceptũ est; pro Imperatoris Optimi, & Inuictissimi Maiestate defendenda; pro ijs locis recuperandis, quæ illi adempta fuerant, & pro Religione nostra tuenda, atque amplificanda. illud denique bellum, in quo communem Christiani nominis hostem omnes Christiani Principes communibus viribus prosternere, atque opprimere tentant: ut minime dubitandum sit, quin ex hoc bello, hostibus deuictis, incolumes reuersuri, lætamq; victoriam deportaturi sitis. quanti vero illud est, quod litteris instructus ad arma tra-

ctanda aggrederis? nam neque cum ijs sentio, qui a litteris parum adiuuari arma existimant; & ab ijs, qui litteras inter arma prorsus inutiles esse contendunt, magnopere dissentio. I Nobilitatis nostræ decus, Dispersorum Academiæ splendor, & ea pete, quæ tibi proposita sunt præmia immortalitatis. nam, quamuis fortuna multas tibi rerum varietates attulerit, atque mutationes, de animi tamen constātia deijcere te nunquam potuit. opes tibi abstulit, at quocunque ieris, eas tecum affers opes, quas nec ipsa dedit, nec tibi eripiet vnquam. Patria cares. at illam veram tibi Patriam esse existimas, in qua virtus honestissimum habeat domicilium. nos, qui te vnice diligimus, qui te discedentem non sine magno dolore dimittimus, Deum Opt. Max. precabimur, vt ille consilia tua vnus moderetur, ac regat; & hac vna ratione tui absentis desiderium leniemus. te nobis sæpe ante oculos proponemus modo cum barbaris hostibus fortiter pugnantem, modo inter Duces de bellicis rebus consilium dantem; vt quamuis absentes, præsentes tecum futuri simus, ac pæne tecum locuturi. idq; libenter faciemus, donec Letissimus ille dies illuxerit, cum rebus præclare gestis in Patriam reuerteris, & tranquillo animo nos tuo sermone, tuoq; congressu, tu nostra vicissim consuetudine, nostra familiaritate frueris. Vale. Genua XIIII. Kal. *Sept.* CIↃ.IↃ.XCVII.

FRAN-

FRANCISCO BONONIETTO, ALEXANDRI FILIO,

Bononiam.

PROXIMIS *superioribus diebus, litteris perlectis Roberti Titij viri doctissimi, quibus mihi significabat Patrem tuum statuisse, vt Vincentius Alzarius Bononiam se conferret studiorum tuorum socius, adiutorq; futurus; ex ijs voluptate affectus sum tanta, quantam animum meum iampridem non percepisse velim existimes. Hoc enim & ipsi Vincentio studijs suis otium quærenti vehementer vtile; mihi vero haud inutile Virorum nobilium amicitias expetenti, futurum speraui. quod vtrunque euenisse nunc video. nam, & illi nunc eas artes colere licet, quibus semper deditus fuit; mihi vero ad amicitiam tuam aditus patefactus est, quæ mihi maximo semper est futura præsidio, & ornamento. Vt enim ipse Vincentius tibi de mea erga te singulari obseruantia sponsor, ita mihi de tua erga me beneuolentia exstitit testis; perfecitq;, quod omnibus & diuitijs, & opibus antepono, vt me diligeres, amplecteris, haberes in tuis. quocirca nunc ipse mihi carior sum, nunc ego fortunatus esse mihi videor, omniaq; incommoda, quæ vnquam in vita pertulerim, hac voluptate*

luptate

luptate compenso. eoq; magis, quia fore confido, vt, quemadmodum in amicitiam tuam me nunc recepisti, ita receptum in posterum cõserues; mea vero erga te obseruantia vitæ sit æqualis. Itaque ipsis Titio, atque Alzario, qui mihi tanti boni fuerunt auctores, tantum me debere confiteor, vt, si eorum caussa omnia præstiterim, vix satis gratus esse videar futurus. illa vero me ad te amandum impulerunt, quod cum ætas tua nondum ad annos XV. accesserit, nihil tamen earum rerum facias, quas ceteri solent adolescentes; quod ita viuas, vt legem ipse tibi perpetuæ continentiæ indixisse videaris; quod denique alios non imiteris, qui a Maioribus suis prorsus degenerant, te vero recte factis quotidie magis confirmes non prius conquieturum, quam Maiorum tuorum laudibus omnino responderis. quod eventurum spe certissima auguramur, cum hæc fundamenta ieceris adolescentiæ tuæ, cum hos fructus iam afferas in ipso ætatis flore. statuisti tu quidem nihil præclarius esse, quam in cognoscenda virtute, atque ornanda industriam locare; & in eo ita perseueras, ut ipse tibi quotidie magis in bene agendi perpetuitate constes, ac in ipsa virtute progrediaris. nimirum hoc est, quod Francisci aui tui, Alberti patrui Cardinalis memoria, & Alexandri patris domestica disciplina ad præclare agendum magnopere te excitat, atque studio immortalitatis incendit. hos tibi ad imitandum pro-

ponis,

ponis, ex horum nobilißimis actionibus omnium actionum tuarum exempla petenda existimas. itaque nunc in ijs studijs, quibus illi quasi per gradus ascendentes ad summas dignitates peruenerunt, ita versaris, vt, si quis te ad ea hortari vellet, currentem incitare, ac celeri equo calcar adhibere videretur. nunc Philosophiæ, ac vtriusque Iuris thesauros auide congeris, quos postea Romæ libenter explicabis, & cum hominibus communicabis; Romæ, inquam, vbi debita virtutibus tuis præmia feres; vbi non modo antiqua Maiorum tuorum facta renouabis, sed etiam nouum ipse in tuam Familiam inferes decus. Diem lætissimum ex omnibus diebus, quos vnquam in vita uiderim, cum ea tempus attulerit, quæ multo ante futura præuiderim; cum ea comprobauerit euentus, quæ de te multis iam annis ante prædixerim. Interim vitam viuis maxime expetendam, atque optandam, perturbationibus vacuam, tranquillitatis plenam, ab erroribus vulgi disiunctam, sapientiæ, atque prudentiæ coniunctam. vt merito omnes, qui se Bononiam conferunt, propter doctrinam te admirentur, & propter suauißimos mores amore singulari prosequantur. hinc euenit, ut dum vixerint, te filij loco duxerint propinqui tui Gabriel Palæotus Cardinalis amplissimus, & Camillus eius frater Senator Sapientißimus; illi, illi Viri, qui Bononiam ita illustrarunt, vt ea cum multis rebus, tum Gymnasio celeberrimo

rimo clara, his tamen Palæotis fratribus haud paullo mihi clarior esse videatur. at hic horum Clarissimorum Virorum memoria lacrymas elicit, quas in communi omnium fletu continere haud possum, iacturam illam deplorans, quam litteræ fecerunt, quæ illis viuentibus floruerunt, morientibus conciderunt. quam quidem iacturam siquis vnquam resarciet, tu is certe vnus ex omnibus eris, qui litterarum amore incensus es; qui litteratos homines summa humanitate complecteris. tu, inquam, vnus & latinas litteras, & liberales disciplinas iacentes eriges, erectas excipies, & exceptas veterem in dignitatem restitues. cuius quidem rei non obscura signa iam dedisti cum in alios, tum in Vincentium Alzarium nostrum, qui humanitatem tuam expertus iam est, iamq́ ex ea maximos cepit fructus; cui quidem cum hanc diuinitus oblatam occasionem sæpe per litteras gratulatus essem, nunquam ille intermisit affirmare, nihil sibi potuisse opportunius aduenire; vestro in iudicio, & beneuolentia omnia commoda, & ornamenta sibi posita existimare; Deo Opt. Max. gratias agere, otij tantum nunc sibi dari, vt arbitratu suo multas diei horas in litteris ponere possit. Itaque, cum ipse antea id maxime vellet, nunc vero & velit, & ocium habeat, multa perficiet, quæ inchoauit, multa perpoliet, quæ iam perfecit, & operam dabit, vt vicissim ex laboribus suis fructus vberrimos capiamus.

quamobrem illud a te petere, ut in eum studia, atque officia tua conferas, haudquaquam necessarium esse existimo. tibi potius gratias agam, quod precibus meis locum plane nullum relinquens plurima iam studia, atque officia in eum contuleris. quod cum facias, verendum tibi non est, ne non boni rerum æstimatores te beneficium dantem summo iudicio præditum, illum vero accipientem optime meritum existiment; qui profecto & iudicium dantis, & meritum accipientis prædicabunt, atque summis laudibus efferent. Longius fortasse progressus sum, quam breuis epistola patitur; sed illud me excuset, quod ea, quæ scripsi, ad testificandam meam erga te singularem obseruantiam omnia scripsi. tuas vero præstantißimas virtutes, quas nunc leuiter attigi, ipsi Vincentio in eo libro, quem tibi inscripsit, atque dicauit, satis pro dignitate commemorandas relinquam. de quibus si quemadmodum absens multa audiui, ita præsens ea viderem, ac, vt ea audiendo auribus satisfeci, ita quoque ea videndo oculis satisfacerem; profecto tãto magis gauderẽ, quanto magis in ijs rebus, quas cupidissime expetiuimus, oculorũ sensu augeri voluptatẽ intelligimus. Verũ, quia illud optare magis, quã sperare nunc possum; quod proximũ erit, libenter faciã; virtutes tuas dies noctesq; contẽplabor, quãtum in me erit, imitari conabor, eroq; alijs incitamẽto ad eas vberius, atq; ornatius amplificandas. Vale.

HIE-

HIERONYMO FRVGONIO, Taurinum.

VIX *credas, mi Hieronyme, quantam mihi lætitiam obtuleris litteris tuis, & versibus etruscis, quos vna misisti. nam & illius temporis memoriam renouasti, quo his iucundioribus musis operam dabamus; & amorem in me tuum antea satis mihi clare perspectum, eumdem his litteris illustrius patefecisti. illud quidem non effecisti, vt his laudibus commotus sim, quas in me tam plena manu contulisti: quas vt reijciã, amorem ipsum tamen, a quo tanquam ex fonte illæ fluxerunt, non possum non maxime amplecti. equidem, vt, quod sentio, libere dicam, cum in me ea minime sint, quæ esse dixeris; vereor, ne in me laudando voluptatis potius poetico more, quã veritatis rationẽ habuisse videaris; & ingenij tui vim, vt illud magis admiremur, ad rem obscuram illustrandam contulisse. itaque, si me audias, me deinceps silentio prætermittas. quod si, quæ tua est humanitas, tuum omnino institutum persequi volueris; dic me litterarum amore incensum, Dispersorum Academiæ amantißimum me dic esse. hæc vera esse fateor, cetera non agnosco. Sed fortasse sub nomine laudis latet cohortatio, & talem me esse optas, qualem nunc iam esse fingis. quod si*

verum est: næ ad me excitandum, & acuendum tua plurimum valebit auctoritas. Sed hæc omitto. ad ea venio, quæ magis amicitiæ nostræ interesse iudico. Illud mihi vehementer placet, quod te immutatum non video, quamuis sedem, locumq; mutaueris. me quidem etiam & constantia valde delectat, & in incæpto perpetua permansio. adeo vt, quamuis maximo interiecto spatio alter ab altero disiungamur, eodem ipse erga te animo sim, quo semper fuerim. conuenit enim inter nos, diligenter videndum esse, cum quibus amicitia instituatur; instituta vero, omni ope enitendum, vt diutissime conseruetur. quod istam Ciuitatem ad habitandum legeris magnopere gaudeo. spero .n. fore, vt quemadmodũ nunc ea iucunda, atq; quieta, ita beneuola posthac vtaris. Illud molestissime fero, quod tua admodum utili, et iucunda consuetudine careo. Non habeo, quicũ loquar, quicum ea communicẽ, quæ hanc uitam vel iucundam, uel iniucundã efficiũt. itaque velim, vt quicquid de nostris collocutionibus locorum interuallo amisimus, id litterarum bono sarcire conemur. sed qui eas perferunt, temporis tantum in itenere, & reditu ponunt, vt eas serius, quam nostra ferat voluntas, accipiamus. at, quanto est amoris, quam tabellarij cursus celerior? tui enim desiderio sæpe incensus in equum ascendo, Taurinum excurro, tecum sum. quod haud ita facile quisquam crediderit uim

amo-

amoris nondum expertus. ac utinam possem una tecum uitam exigere. quid enim aut ad doctrinam comparandam, aut ad mores recte conformandos mihi utilius esset, quam apud te uirum optimum, & ingeniosissimum in contubernio uiuere? nec illud in loco me torqueret, quod hos nitidissimos colles haud amplius uiderem: nam istam Ciuitatem circumstant æqua loca, atque plana, frugibus uestita, quæ æque, ac illi, nos facile delectent. quæ quidem fruges uento commotæ, atque agitatæ, tanquam undæ paullatim longius se diffundentes, speciem maris præbent, ut maris nostri adspectum haud multum desiderarem. Sed illud quidem optare possum, sperare iam uix audeo; ut omnino mihi ad litteras confugiendum sit, quibus & mittendis, & accipiendis aliqua saltem ex parte tui desiderium leniam. Itaque, cum per occupationes licebit, libenter ad te scribam, &, si quid noui habebo, faciam te certiorem. nam de rebus Romanis, deq; Ferrariensibus uos certiores factos iam esse arbitror. Deus Opt. Max. illius belli incendium, quo tota Italia conflagratura uidetur, manu sua restinguat. De nostris uero, quod litteris dignum nunc occurrit, hoc accipe. Ducem habemus Lazarum Grimaldum, optimum Virum, optimum Ciuem; ex cuius consilio, atque prudentia fore confidimus, ut Resp. nostra fructus capiat uberrimos. ac illum iam cepit egregium, quod omnes

con-

controuersias sustulit, quas inter Duces, & Archiepiscopos nostros attulerat ambitio. tu, si vicissim de ijs rebus, quæ istic geruntur, me docueris, gratissimum facies. velim autem, ut opera mea ad omnia utaris, mea uero quæ sunt, tua esse putes. Vale. Genuæ. Kal. *Februarij.* CIↃ.IↃ.XCVIII.

VINCENTIO ALZARIO,

Bononiam.

LIBRVM *tuum auide exspecto. ex eo enim sitim explere cupio, cum pauca, antequam discederes, leuiter degustauerim. & quoniam ea est industriæ tuæ fecunditas, ut semper aliquid parias, tibi quod ornamento, alijs vero usui sit; quid nunc potissimum animo, ac mente conceperis, vehementer scire aueo. nam, cum de litteris colloqueremur, quod fere quotidie, dum hic eras, consueueramus, memini dixisse me, si quis Lygurum nostrorũ præclara facta elogijs comprehenderet, vel si ad imitationem Valerij Maximi multarum virtutum exempla colligeret, eum me existimare maximam esse laudem consecuturum. hæc tu quoque mecum sentiebas; & uoluisses tu quidem, & fecisses libenter, si per occupationes tibi licuisset. ego equidem denuo te nunc ad hoc genus scriptorum libenter hortarer,*

nisi

nisi illud maiores fortasse uigilias postulare intelligerem, quam ut in eo quidquam efficere, & præstare nunc ipse poßis. Itaque uelim, ut ad ea aggrediaris, quæ facilius perfici posse existimes. mihi quidem hoc tempore nihil gratius facere potes, quam si in colligendis Monumentorum lapideis inscriptionibus, quæ in multis Italiæ locis paßim leguntur, aliquam industriæ tuæ partem exercueris. cuius quoque rei magno me desiderio teneri, de meis sermonibus ipse colligere potuisti. hoc igitur munus ut suscipias, quod utile, et iucundum fore confido, te etiam atque etiam rogo. quo quidem in munere si non modo laboris, sed etiam ingenij partes suscipiens, eos laudaueris, a quibus Inscriptiones ipsas acceperis, simulq́ ostenderis, quid in unaquaque earum excellat, egregie illi satisfacies. & quoniam doctrinarum in studio ita uersaris, ut, cum priuatæ uoluptatis, tum communis etiam utilitatis habeas rationem, si animum induxeris, ut hanc prouinciam suscipias, de impreßione postea statuemus; & ego tibi, quantam omnino in hanc rem necesse erit impendere pecuniam, suppeditabo. non enim mihi Sinibaldi Ferrarij nostri sententia probatur; qui, cum luculenter, & egregie scribat, nullo tamen modo adduci potest, ut sua scripta in publicum proferat. Quamquam ipse hanc habet rationem, qua sententiam suam tueatur, quod incumbentibus ad præclara litterarum studia qui

opem

opem ferat, ferat autem? immo qui polliceatur, neminem esse uidet. quo quidem nomine omnium uestrum, qui litteras profitemini, ego uicem uehementer doleo, condicionemq; uestram in dies deteriorem fieri, grauiter, molesteq; fero. habes, mi Vincenti, quid ego a te nunc potißimum scribi uelim: tu, quid nunc potissimum scripturus sis, liberius si mihi indicaueris, rem mihi gratissimam feceris. quod si, omnibus posthabitis, Bononiettam Familiam scriptis celebrandam seligeres, consilium placeret, nec rem digniorem, ubi tu neruos ingenij intendas, ullam esse puto. ecquæ domus est hodie, in qua certius litteris, ac litteratis hominibus perfugium sit? est istuc datum profecto Bononiettæ Familiæ, litteras, ac litteratos homines ut excipiat, amplectatur, & foueat. adeo ut, quemadmodum optimis artibus Italia ceteris Orbis terræ partibus, in Italia uero Bononia ceteris ciuitatibus longe antecellit; ita Bononiæ litteris, ac litteratis hominibus præsidio, & ornamento Bononietta in primis Familia sit. a qua cum tuis consuli studijs, atque commodis intelligam, facere non possum, quin tuum de mansione consilium probem, teq; in ista eruditorum hominum celebritate uersari uehementer gaudeam, eoq; magis, quod medicinæ studium ita amplexus es, ut Laureæ insignia breui sis consecuturus. quæ quidem ars huiusmodi tibi pariet fructum, ut, ad nos cum te receperis, omnibus curis solu-

tus

tus nobiscum simul quieta, atque tranquilla vita sis fruiturus. Vale, & Franciscum Bononicttum summa iam virtute adolescentem, meo nomine plurimum saluta. Genua. Prid. Non. Apr. CIↃ.IↃ.XCVIII.

IO. FRANCISCO GROPALLO, VINCENTII FILIO.

QVIA propter occupationes minus sæpe, quam vellem, tecum sum, idcirco has ad te litteras dare volui, ex quibus meam de lingua Latina sententiam plane intelligeres. nam cum sæpe ex te audiuerim, cum diceres Etrusca lingua scribendũ esse, & a Latina prorsus abstinendum, hanc tibi opinionem ex animo euellere statui, antequam radices agat altiores. neque enim, cum ceteris in rebus nostri sensus maxime congruant, hac in re vna eos maxime discrepare, amicitia nostra, & affinitatis summa coniunctio postulat. Cum duæ res in controuersiam vocantur, vtra ex his præstantior sit; in vtraq; dignitas spectanda est, atque vtilitas, nec voluptatis ratio non habenda. hæc igitur ita perfecte in Latina lingua reperiri, ita prorsus in Etrusca desiderari ostendam, vt nemini sit dubium futurum, quin Latina, quam Etrusca longe præstantior sit. tria vero sunt, quæ maximam Latinæ linguæ dignitatem pepererunt, antiquitas, scriptorum elegantia, atque

auctoritas, & vis quædam in ea insita, atque innata. nam si principium perquirere velimus, eam tunc ortam esse reperiamus, cum Aeneas fugiens a Troia in Italiam peruenit, & cum Latino Aboriginum Rege societatem iniuit. Postea vero simul cum Imperio Romano ea vsque adeo creuit, vt, quemadmodum illud in omnes fere gentes peruasit, ita hæc ad Consulatum summum Romanæ Reip. Imperium viam sibi patefecerit. Cicero enim magis sua eloquentia commendatus, quam Maiorum gloria clarus hunc tantum honorem consecutus est. multa per sæcula postea viguit, ac nunc etiam viget, vt nihil de pristino iure amisisse affirmes, nec quidquam amissuram in posterum existimes. Porro res antiquæ quantam habeant admirationem, quam iucunda sit earum tractatio, quotidie experimur. itaque, si quid in tabula, marmore, ære, argento ue inscriptum videmus, quod ad antiquitatis notitiam pertineat, id libenter describimus, auide arripimus, & in scrinijs nostris veluti thesaurum asseruamus. merito igitur Latinam linguam in delicijs habemus, admiramur, veneratione prosequimur. Etrusca vero non multis abhinc sæculis orta est; tunc in Italiam paullatim inducta, cum barbaræ gentes eam sæpius occupassent. vt, si quis multarum linguarum colluuionem potius, quam linguam eam esse dicat, verum ille quidem dicere videatur. Cum ea

igitur

igitur a confusione principium habuerit, suis quoque progressionibus confusione augeri nulli mirum esse debet. nam, & qui illam profitentur, quo nomine eam appellent, nondum plane deliberauerunt: inde contentio, inde dissensio, & nonnullæ Italiæ Nationes de illius non admodum antiqua origine pugnant inter se, atque contendunt. quod si ego Etruscam appello, id facio, quia vocabulum magis proprium, quo vtar, non inuenio. ex præteritis de futuris iudicamus. Malum principium, non dubito, quin exitus peior consecuturus sit. quod vtinam Deus Optimus Maximus hanc linguarum congeriem aliquando dissoluat, vt singulis vocibus ex tam confuso aceruo separatis, & in suas regiones migrare iussis, pura illa, & incorrupta Latine loquendi consuetudo Italiæ reddatur. Venio nunc ad veteres linguæ Latinæ scriptores: at quos scriptores, bone Deus, quam eruditos, quam elegantes in omni genere scriptorum? mihi quidem eorum præclara ingenij monumenta tota mente contemplanti, nec meliora, nec ornatiora vel ipsi Græci scripsisse videntur. admiramur Ciceronem, Virgilium; alterum Oratorum, alterum Poetarum principem: summis laudibus efferimus tot claros Viros bellicis rebus, & doctrina præstantes, quorum auctoritatem multorum sæculorum auctoritas comprobauit. quem illis oppones ex

immensa Etruscæ linguæ scriptorum turba? proferes ne Franciscum Petrarcham, ac Ioannem Boccaccium, quorum alterum Virgilio, alterum vero Ciceroni conferre audeas, cum Virgilius Homero, Cicero vero Demostheni multorum iudicio anteferendi sint? præterea in lingua Latina summam inesse vim, nos ipsa experientia docet. Principes Viri maioribus in rebus ea vtuntur. intelligunt enim, id quod res est, eam haud paullo plus ponderis habere, quam vestram hanc Etruscam. Si quis in publico Latine dicit, is ita audientium sensus, & animos in sua potestate habet, vt eos, quo velit impellat, vnde autem velit, deducat. At quis miretur nos studijs humanitatis deditos Latina lingua maxime affici, cum barbaræ gentes humanitatis expertes ea maxime afficiantur? mira Latinæ linguæ uis, mira est grauitas; ut antiquorum scripta cum legimus, eam statim linguam agnoscamus, quæ Orbis Terrarum princeps, ac domina fuit. At Etrusca lingua nullam vim in sese habet, res grauiores non admittit, ad ea scribenda tantum accommodata, quæ populo familiaria sunt. De vtilitate sequitur; quæ quidem tanta est, vt Latinam linguam si quis sustulerit, omnes disciplinas, atq; artes, omnem denique vitæ communionē sustulisse videatur. Quæcunque enim ad Religionem nostram pertinent, omnia Latina lingua exstant conscripta.

quæ

quæ quidem lingua ad eam propagandam momenti plurimum habet, cum toto pæne Terrarum Orbe sit omnibus nota, vnaq; omnium sit pæne communis. Ingenuæ artes fere omnes aut Latinis litteris illustrantur, aut Latino sermone passim explicantur. quod si qui fuerunt, qui philosophiam, aut ius ciuile Etrusca lingua interpretati sunt, eos satis constat non magis probatos fuisse, quam qui Latinis modis, atque numeris ea ipsa lingua versus facere aggressi sunt. Omnibus hominibus loquendi facultatem natura concessit, at non omnes vna eademq; lingua loquuntur. Quodnam igitur huic tanto incommodo comparatum remedium est? quod? nisi Latina lingua, quam omnes gentes intelligunt, quæ non minores affert vtilitates, quam quæ vere necessaria sunt? Etrusca vero lingua non ita mihi vtilis esse videtur, vt in ea plus temporis conterendum sit, quam quantum nobis sit necesse inter domesticos familiariter loquentibus. Quod si ea, quæ scribimus ad alienam vtilitatem dirigi debent, qua ratione id assequi possint, non video, si Etrusca lingua scripta sint. Hæc enim suis quasi finibus contenta in longinquas regiones haud facile excurrit. Itaque qui Etrusce hoc tempore scribunt; cum hominibus non magnopere prosunt, tum gloriæ suæ non optime consulunt. eam enim angusto satis loco includunt, cui

totus pæne Terrarum Orbis, illi ipsi Latine si scriberent, theatrum esset futurus. Ego equidem, cum in Etrusca lingua comparanda plurimum operæ, ac industriæ antea posuerim, nunc me non tam lucrum, quod eam mihi comparauerim, quam damnum fecisse existimo, quod in ea comparanda tantum temporis consumpserim. Ceperat me quoque fucata quædam eloquentiæ species, cum huius Etruscæ linguæ studio tenerer. ac, vt si omnes dicendi veneres consecutus fuissem, ipse me vehementer amabam. At posteaquam ab eo studio ad Romanæ eloquentiæ pulchritudinem ratio me ipsa traduxit, quasi mihi speculum allatum fuerit, longe me ab ea specie, quam in scribendo optimam quærimus, abesse sensi. Itaque, quod hanc Latine scribendi viam ingressus sim, nunquam me pœnitebit; quin etiam in dies magis incæptum hoc iter percurrere contendam; & veteres illos si minus attigero, propius ad eos accedere conabor. Dixi de dignitate, atque vtilitate; nunc Latinæ litteræ quantam habeant voluptatem, ostendam. maxima afficimur voluptate, cum ea, quæ ad humanitatem pertinent, studia tractamus. Quid enim potest esse his studijs humanitatis iucundius? ego equidem, omnibus rebus relictis ad ea sæpe confugio, ac in suauissimo earum amplexu libenter conquiesco. An tot labores, quibus est hominum vita referta per-

ferre

ferre possemus, nisi his humanitatis studijs identidem leuaremur? Hæc autem studia merito sibi vindicant Latinæ litteræ, & scriptoribus Latinis omnium prope consensu scriptorum primæ in his studijs deferuntur. Quid Cicerone grauius, Virgilio dulcius, Liuio sublimius? neque vero Poetas, Historicos, Oratores habent, Philosophos autem Latinæ litteræ desiderant. Nihil est enim, quo ipse oblecteris, quo ad legendum inuitari, atque allici possis, cuius non vberrimam tibi Latina lingua copiam suppeditet. est igitur Latina lingua cum propter dignitatem, & vtilitatem, tum propter voluptatem vehementer amanda. huiusmodi vero voluptates quanto ceteris omnibus maiores, sincerioresq; sint, ex eo intelligi potest, quod aliæ nobis satietatem sæpe afferunt; hæ in dies magis, magisq; nos capiunt; quod alias statim perturbatio consequitur, has semper animi tranquillitas comitatur. Hæc igitur cum ita sint, tibi non persuadebitur, quam Latina lingua parit incredibilem voluptatem, hac vt perfruaris? ea enim est Latinæ linguæ puritas, & suauitas, vt non dubitem, quin, si semel eam gustaueris, auidius postea eamdem arripias, quasi diuturnam sitim expleturus. Ad eam vero degustandam nunc te præclara inuitat occasio. in amœnissimis villulis tuis summo otio frueris. quid obstat, quo minus antiquorum scriptis euoluendis totam æstatem

ibi

ibi traducas? neque vero cum fessus eris legendo, tibi deerit, in quo subcisiuis horis quasi ludibundus ipse te exerceas, cum nullum fere genus artificij sit, in quo non ipse ita excellas, vt cum summis artificibus comparari possis. Vt concludam, es naturæ muneribus maxime ornatus, ad Latinæ linguæ studium ea si contuleris, spero fore, vt amplior illius dignitati ex tuis scriptis, tuæ vero gloriæ ex illius vsu cumulus accedat.

Vale.

Genuæ ex ædibus. Quarto Nonas Iulij.

CIƆ. IƆ. XCVIII.

IOANNIS

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS

EPISTOLARVM

LIB. III.

IOANNI VINCENTIO IMPERIALI.

Ex omnibus rebus, quæ in hoc Orbis Theatro conspiciuntur, nulla me magis afficere solet, quam varietas illa, quam in hominum ingenijs, atque moribus inesse videmus; cum vnusquisque suum vitæ genus magnopere laudet, ceteros vero labi, & errare existimet. res quidem consideratione digna, & quæ maximam nobis vtilitatem afferre potest varios exitus diligenter considerantibus, quos tam dissimiles viuendi rationes sortiuntur. Multi honores ita sitiunt, vt in ijs petendis nullos labores, nullas contentiones subire recusent: fuco, & fallacijs prensant, per alienas ædes cursitant, in subsellijs prima loca occupant, & aura populari tam alte sæpe extolluntur, vt, tamquam astra capite tangant, se præ ceteris beatos putent. miseri, atque infe-

S lices,

lices, qui vulgi leuitate, & inconstantia nixi sæpe de gradu dignitatis deturbantur, & quo magis in sublime efferuntur, eo maiori ruina præcipites ruunt. Alij ita diuitijs inhiant, vt nihil aliud cogitent, quam quomodo arcas, & saccos impleant, nulli nec diurno, nec nocturno labori parcunt, in longinquas regiones commigrant, & quæstus caussa multis se periculis offerunt, in opibus spes suas sitas habent, opibus omnia se consequi posse confidunt. qui nobis sane miserabilia spectacula præbent, dum infeliciter viuunt, & infelicius moriuntur, filijs relictis, qui, quas illi per summos labores tota fere ætate pecunias accumularunt, eas ipsi ludibundi puncto temporis vno talorum iactu sæpe amittunt. Non pauci sunt, qui rei militaris studio maxime delectantur, nil nisi arma loquuntur, tubarum sono excitantur, martium furorem oculis spirant. at hi in ipso belli tirocinio, aut pugnando sæpe mortem occumbunt, aut, si vincunt, eam gloriam referunt, quæ cæde, cruore, & incendijs parta non vsquequaque perfecta videtur. Plærique autem ceterarum rerum obliti voluptatibus plurimum indulgent, & amore ita insaniunt, vt noctes insomnes ducant, & mæstis querelis omnia compleant. rei amatæ imaginem perpetuo in oculis, animoq; habent, & illius aspectu frui, & ea potiri si liceat, ad suam felicitatem nihil addi posse affirmant. at illi egregia sane præmia fe-

runt

runt in hac Veneris militia se exercentes; nam prima sub ætatis flore aut misere pereunt, aut valetudine in perpetuum amissa miserrimam vitam viuunt. Tu vero, Ioannes Vincenti, longe aliud viuendi institutum secutus es. nulla enim re magis, quam litteris delectaris; quantum per ætatem licet, in Rep. versaris; doctissimorum Virorum consuetudine frueris; & quæ Adolescentis Amplissima Familia nati, ingenio, opibus, maximisq; Affinitatibus florentis partes sunt, eas egregie sustines, atque tueris. diuitijs quidem plane regijs abundas, & egregijs corporis dotibus a natura ornatus es; sed ijs vteris, quatenus virtutis exercendæ instrumenta sunt. præclare quidem. Ego nunquam adduci potui, vt talia bona in hominibus magis, quam animi virtutes amarem. hanc igitur vitam, quam instituisti, summis laudibus efferendam, ceterisq; omnibus præferendam censeo. Ex ea enim hæc tibi bona fluunt. humana contemnis, ad cælestia aspiras, extra Italiæ fines gloriam tuam dilatas, æquales te imitandi cupiditate accendis. quibus quidem præire lumenq; quasi præferre, vt per hoc iter gloriæ celeri gradu currant, mihi videris. Id verum esse, tibiq; primas in litteris iure deferri illi fatentur. itaque mirifico consensu, semel atque iterum delectus es, qui in Mutorum Academia principatum teneas, vt arbitrio tuo studia dirigantur, vt auspicijs tuis res denique tota geratur.

at vos, eo nomine suscepto, lusisse mihi videmini, ac longe alio sensu illud accipiendum esse, quam quo visitata consuetudine accipi solet. Muti scilicet, cum grauißimis de rebus inter vos quotidie disputetis? cum tu præcipue elegantissimas, doctissimasq; Orationes habeas, tanta oris, vultusq; dignitate, tantaq; dicendi copia, atque vbertate, vt audientium animos maxima lætitia afficias, eosq; in tui admirationem allicias, simulatque trahas? ac tunc melius videbimus, num hoc tibi nomen conueniat, cum ea in apertum proferes, quæ tum versu, tum soluta oratione scripsisti. Ex quibus cum sitim nostram explere cupiamus, ea a te diutius comprimi iniquo animo ferimus. Quantam lætitiam existimandum est capere Parentes tuos ex te Filio & virtute, & litteris maxime ornato, cum te vnice ament, & spes omnes suas in te collocauerint? quos quidem intuens, quamuis te, natura duce, ad omnem laudem accendi sentias, non dubito quin acrioribus gloriæ stimulis excitatus, in dies magis, magisq; inflammeris. Ecquem exemplo non commoueat, & ad veram, solidamq; gloriam non impellat Ioannes Iacobus Pater tuus, Vir Senatoria dignitate, prudentia, & auctoritate præstantißimus? Ego quidem quoties illius magnificentiam in amplißimis ædificijs ad commune potius Vrbis ornamentum, quam ad propriam vtilitatem pertinentibus considero; & cum

tam

tam Patriæ amantem, tanto iuuandi mortales studio ardentem video, aliquem ex veteribus illis Romanis videre mihi videor. quos tales fuisse, quales historiæ narrant, idcirco credo, quod his temporibus nonnulli reperiuntur, qui eos aut adæquant, aut vincunt. nec minus materna Gens Spinula, quam paterna Imperialis ad verum te decus inuitat. Blanca enim mater tua primaria, ac lectißima Femina, omnibus & animi, & corporis dotibus ita excellit, vt præclarum muliebris virtutis exemplar ceteræ habeant, quod imitentur. Maximo etiam tibi incitamento sunt Illustrißimus, & Reuerendißimus Horatius Spinula Archiepiscopus noster, & Illustrißimus, & Excellentiß. Ioannes Andreas Auria Melphiæ Princeps, quibus tu sanguine coniunctus es. quorum alter veteres illos Sanctissimos Patres nobis repræsentat, alter vero prudentiæ laude, & rerum gestarum gloria maxime inter omnes excellit. Soles tu quidem ex multis partibus summo studio libros conquirere, & Musæum tuum excellentium virorũ imaginibus exornare, quæ mihi superioribus diebus, cum domi tuæ te conuenissem, maximæ delectationi fuerunt. Sed multa ex summis illis, grauißimisq; Viris Propinquis tuis nos laudabilia percipere posse, quæ nunquam ex libris perciperemus; & has viuentes, ac spirantes imagines nos virtutis amore magis accendere, quam illas alteras

manibus

manibus hominum pictas plane intelligis. cum illæ tantum corporis effigiem, hæ vero etiam mentis imaginem nobis ostendant. Ea, quæ dixi, maximam ad animos nostros excitandos singula vim habent; cum ea vero vniuersa in te sint, cum tibi a natura virtutis amor ingenitus sit, cum Parentes, & Affines habeas, ex quibus omnium virtutum exempla petere possis, cur ea te præstare, quæ humana condicione maiora sunt, tantopere miremur? quin potius te nobis imitandum, celebrandumq; proponimus? quid cessant id facere illi, quos circum te habes doctissimi viri? cur non omne studium, atque ingenium ad te laudandum conferunt, vt in te laudando maximam ipsi quoque laudem consequantur? num eos materiæ grauitas ab hac mente deterret? num tanto oneri ferendo haud pares sese esse intelligunt? Vtinam ego eam dicendi facultatem qua ipsi præstant, consecutus essem; omni timore omisso, non aliud certe argumentum, quam eximias tuas virtutes ad scribendum deligerem. Quibus quidem ego tantum excitor, quantum olim Themistoclem illum adolescentem Miltiadis trophæo haud excitatum fuisse crediderim. Sed cum hoc ego beneficium maximum ducam, quod me in amicitiam tuam amantissime receperis, cumq; ab ingrati animi vitio vehementer abhorream, hanc inibo rationem, vt illud aliquo modo compensem: ipsas virtutes

tutes

tutes tuas; semper in ore, animoq́ habebo, eas omni tempore colam, & quantum tenues ingenij mei vires patientur, apud posteros testatas relinquam. Vale. Genua.

IO. VINCENTIVS IMPERIALIS IO. NICOLAO SAVLIO CARREGÆ.

AMICIOR *tua, quam verior Epistola. Perlibenter legi. quem mea laus deterruit, me tui stili candor illexit. Humanitati illa, hic tuæ doctrinæ detur. Viros doctos admiror, atque obseruo, non æmulor. Plane me noui. Tuæ in me summæ beneuolentiæ debeo plurimum. Offerat se occasio, tu & meæ, quæ summa itidem in te est, plurimum debebis. Vale.*

PASQVALI SAVLIO I. C. STEPHANI FILIO.

VIROS *doctrina præstantes summa obseruantia colo, idq́ cum mea sponte facio, tum magnopere scriptorum auctoritate commoueor multa de illis prædicantium. Itaque, quamuis erga Stephanum Saulium Patrem tuum virum doctißimum incredibili amore incensus sim; vehementius tamen eorum scriptis inflam-*

flam-

flammor, qui eum summis laudibus extulerunt. Viri ita probi, veriq; cultores, vt eos tanquam mendaces nemo refellere possit; ita in eo laudando iudicio, atque voluntate consentientes, vt vna vox omnium, vnus omnium sensus esse videatur. hunc vero incredibilem amorem meum cum multos iam annos celauissem, diutius demum continere non potui, quin eum tibi illius filio indicarem. quæ voluntatis significatio tibi fuit adeo grata, vt me in amicitiam tuam humanissime receperis. cum vero illius scripta legendi miro desiderio tenerer, tu eorum mihi copiam libenter fecistis & illius imaginem egregie pictam mihi ostendisti, quæ ita me delectauit, vt nihil vnquam viderim libentius. Itaque duplici voluptate vno tempore auctus a tuo congressu lætissimus discessi. habui in manibus eum librum, quem de homine Christiano ipse conscripsit, de quo quid Viri senserint non minus dignitate, quam doctrina præstantes, eo facile declaratur, quod conferendum cum antiquorum scriptis iudicauerint. Quæ certa, & illustria cum sint, nullum testimonium, aut laudationem desiderant. quantum vero doctrina, & eloquentia cæteris præstiterit Pater tuus, res ipsa declarat. res quidem præstantissimas ad scribendum delegit. in sententijs grauitas, in verbis elegantia inest; vt illius ingenium, atque scientiam haud satis admirari possimus. ac mihi quidem, & Patris tui doctrinam,

nam,

nam, & elegantiam, & huius libri argumentum consideranti dignior haud vllus videtur, qui materiem tam nobilem, & præclaram tractaret; vlla nec materies dignior, quæ tam docte, & eleganter tractaretur. nam, cum veteres illi optimum virum, ac ex omni parte beatum formauerint, nihil de vera, atque perpetua felicitate cogitantes; ipse quid Christianum deceat hominem docuit, qui non modo beate victurus sit, sed etiam æternam beatitudinem consecuturus. Itaq;, si liber vllus est, qui ad studium summi boni homines excitare possit, hic certe est, vt bonis omnibus diutius deberi non possit, qui a te summis precibus contendunt, vt eum nunc in tenebris latentem tandem in lucem prodire sinas. Patris quidem tui Manes dolere summopere arbitror, quod hunc librum diutius comprimas, quem ille certe fuerit in publicum editurus, si vitam longius produxisset. ex eo autem quanta ipse in Deum pietate flagraret, quanto iuuandi mortales studio teneretur, facile intelligimus. vt ipsius honeste acta vita norma quædam nobis esse poßit, qua & mores corrigamus, & studia nostra ad honestatẽ dirigamus. Diues quidem erat, sed vere diues. vt, quamuis multos diuitijs vinceret, ipse nunquam a diuitijs vinceretur. ijs enim & viuens prudenter, & magnifice vsus est, & moriens plura ex ijs Christianæ pietatis opera fieri iußit, vt tum humanitatis, tum libe-

T ralitatis

ralitatis suæ præclara monumenta intueremur. Ego equidem ædes vestras in Colle Iani sitas libenter inuiso, quæ quidem me non tam mirifica exstructione delectant, quam recordatione doctißimorum uirorum, qui in hisce ædibus habitarunt. Cum his coniuncte uiuebat pater tuus. alij alios, hos ille semper magnopere dilexit, liberalitate excitauit, copijs fouit. quod vtinam plures in Ciuitate nostra patris tui similes hodie haberemus, ea profecto haud paullo plus pulchrior, atque florentior esset. Merito igitur cum Familiæ Sauliæ deditus sum, tum patri tuo huius Familiæ singulari ornamento sum deditißimus. quæ quidem Familia primum Romæ tanquam in pingui, ac feraci solo nata, ex eo deinde Lucam translata, postremo Genuæ diligentius culta, veluti generosa planta vberrimos semper attulit fructus. nam, & qui purpura insignes fuerunt, hodieq; sunt, quiq; belli, pacisq; laudibus claruerunt, plures ex hac Familia prodiere. Vt maiores meos magnopere laudem, qui legibus nostris, quamcunque in Familiam uellent, transeundi facultatem cum haberent, in Sauliam potius, quam in aliam transire maluerint. Quod autem ipse litteras, ac litteratos homines amas, hoc Patris imitatione facis. quam præclaram consuetudinem ab eo cum acceperis, fore speramus, Vt illius hereditaria, ac iusta poßeßione nunquam excedas. nam præter ius ciuile, in quo quan-

tum

hoc tempore acquiescam.. quarum alteram ut mihi conserues, te etiam, atque etiam rogo; alteram vitæ meæ æqualem futuram omni asseueratione tibi affirmo. Vale. Genua. Ex ædibus. Idibus Oct. CIↃ.IↃ.IIC.

LAVRENTIO FABRO.

POMPEIVM Arnolphinum tam misere exstinctum ita grauiter doleo, ut nulla ex re quidquam solatij capere possim. versatur mihi ante oculos illius interitus, qui cum multis de caussis fuerit acerbus, eo tamen nomine acerbior fuit, quod improuisus acciderit. mors quidem impendet omnibus, & se quisque ad eam parare debet; sed non parum refert a natura ne, an a casu proficiscatur. ille enim, si naturali morte interijsset, minus certe dolendum esset: sed hanc ob caussam maxime dolemus, quod tam inopinato casu ereptus repente nobis sit; quodq; eum omnia solatia defecerint, quibus discessus a vita leuior est. miseram rerum humanarum condicionem, a quibus tunc maximum periculum est, cum nihil periculi exspectas, aut suspicaris. Ille tunc e uita excessit, cum optatis suis satisfactum iri sperabat. nihil autem magis optabat, quam ut cum suis in patria uiueret, & in studijs acquiesceret. et sane æquum erat, ut, qui agendis rebus multos annos dedisset, is suorum laborum eum caperet

fru-

lices, qui vulgi leuitate, & inconstantia nixi sæpe de gradu dignitatis deturbantur, & quo magis in sublime efferuntur, eo maiori ruina præcipites ruunt. Alij ita diuitijs inhiant, vt nihil aliud cogitent, quam quomodo arcas, & saccos impleant, nulli nec diurno, nec nocturno labori parcunt, in longinquas regiones commigrant, & quæstus caussa multis se periculis offerunt, in opibus spes suas sitas habent, opibus omnia se consequi posse confidunt. qui nobis sane miserabilia spectacula præbent, dum infeliciter viuunt, & infelicius moriuntur, filijs relictis, qui, quas illi per summos labores tota fere ætate pecunias accumularunt, eas ipsi ludibundi puncto temporis vno talorum iactu sæpe amittunt. Non pauci sunt, qui rei militaris studio maxime delectantur, nil nisi arma loquuntur, tubarum sono excitantur, martium furorem oculis spirant. at hi in ipso belli tirocinio, aut pugnando sæpe mortem occumbunt, aut, si vincunt, eam gloriam referunt, quæ cæde, cruore, & incendijs parta non vsquequaque perfecta videtur. Plærique autem ceterarum rerum obliti voluptatibus plurimum indulgent, & amore ita insaniunt, vt noctes insomnes ducant, & mæstis querelis omnia compleant. rei amatæ imaginem perpetuo in oculis, animoq; habent, & illius aspectu frui, & ea potiri si liceat, ad suam felicitatem nihil addi posse affirmant. at illi egregia sane præmia ferunt

runt

runt in hac Veneris militia se exercentes: nam prima sub ætatis flore aut misere pereunt, aut valetudine in perpetuum amissa miserrimam vitam viuunt. Tu vero, Ioannes Vincenti, longe aliud viuendi institutum secutus es. nulla enim re magis, quam litteris delectaris; quantum per ætatem licet, in Rep. versaris; doctissimorum Virorum consuetudine frueris; & quæ Adolescentis Amplißima Familia nati, ingenio, opibus, maximisq; Affinitatibus florentis partes sunt, eas egregie sustines, atque tueris. diuitijs quidem plane regijs abundas, & egregijs corporis dotibus a natura ornatus es; sed ijs vteris, quatenus virtutis exercendæ instrumenta sunt. præclare quidem. Ego nunquam adduci potui, vt talia bona in hominibus magis, quam animi virtutes amarem. hanc igitur vitam, quam instituisti, summis laudibus efferendam, ceterisq; omnibus præferendam censeo. Ex ea enim hæc tibi bona fluunt. humana contemnis, ad cælestia aspiras, extra Italiæ fines gloriam tuam dilatas, æquales te imitandi cupiditate accendis. quibus quidem præire lumenq; quasi præferre, vt per hoc iter gloriæ celeri gradu currant, mihi videris. Id verum esse, tibiq; primas in litteris iure deferri illi fatentur. itaque mirifico consensu, semel atque iterum delectus es, qui in Mutorum Academia principatum teneas, vt arbitrio tuo studia dirigantur, vt auspicijs tuis res denique tota geratur.

S 2 at

at vos, eo nomine suscepto, lusisse mihi videmini, ac longe alio sensu illud accipiendum esse, quam quo vsitata consuetudine accipi solet. Muti scilicet, cum grauissimis de rebus inter vos quotidie disputetis? cum tu præcipue elegantissimas, doctissimasq; Orationes habeas, tanta oris, vultusq; dignitate, tantaq; dicendi copia, atque vbertate, vt audientium animos maxima lætitia afficias, eosq; in tui admirationem allicias, simulatque trahas? ac tunc melius videbimus, numhoc tibi nomen conueniat, cum ea in apertum proferes, quæ tum versu, tum soluta oratione scripsisti. Ex quibus cum sitim nostram explere cupiamus, ea a te diutius comprimi iniquo animo ferimus. Quantam lætitiam existimandum est capere Parentes tuos ex te Filio & virtute, & litteris maxime ornato, cum te vnice ament, & spes omnes suas in te collocauerint? quos quidem intuens, quamuis te, natura duce, ad omnem laudem accendi sentias, non dubito quin acrioribus gloriæ stimulis excitatus, in dies magis, magisq; inflammeris. Ecquem exemplo non commoueat, & ad veram, solidamq; gloriam non impellat Ioannes Iacobus Pater tuus, Vir Senatoria dignitate, prudentia, & auctoritate præstantissimus? Ego quidem quoties illius magnificentiam in amplissimis ædificijs ad commune potius Vrbis ornamentum, quam ad propriam vtilitatem pertinentibus considero; & eum

tam

tam Patriæ amantem, tanto iuuandi mortales studio ardentem video, aliquem ex veteribus illis Romanis videre mihi videor. quos tales fuisse, quales historiæ narrant, idcirco credo, quod his temporibus nonnulli reperiuntur, qui eos aut adæquant, aut vincunt. nec minus materna Gens Spinula, quam paterna Imperialis ad verum te decus inuitat. Blanca enim mater tua primaria, ac lectißima Femina, omnibus & animi, & corporis dotibus ita excellit, vt præclarum muliebris virtutis exemplar ceteræ habeant, quod imitentur. Maximo etiam tibi incitamento sunt Illustrißimus, & Reuerendißimus Horatius Spinula Archiepiscopus noster, & Illustrißimus, & Excellentiß. Ioannes Andreas Auria Melphiæ Princeps, quibus tu sanguine coniunctus es. quorum alter veteres illos Sanctissimos Patres nobis repræsentat, alter vero prudentiæ laude, & rerum gestarum gloria maxime inter omnes excellit. Soles tu quidem ex multis partibus summo studio libros conquirere, & Musæum tuum excellentium virorũ imaginibus exornare, quæ mihi superioribus diebus, cum domi tuæ te conuenissem, maximæ delectationi fuerunt. Sed multa ex summis illis, grauißimisq; Viris Propinquis tuis nos laudabilia percipere posse, quæ nunquam ex libris perciperemus; & has viuentes, ac spirantes imagines nos virtutis amore magis accendere, quam illas alteras

manibus

manibus hominum pictas plane intelligis. cum illæ tantum corporis effigiem, hæ vero etiam mentis imaginem nobis ostendant. Ea, quæ dixi, maximam ad animos nostros excitandos singula vim habent; cum ea vero vniuersa in te sint, cum tibi a natura virtutis amor ingenitus sit, cum Parentes, & Affines habeas, ex quibus omnium virtutum exempla petere possis, cur ea te præstare, quæ humana condicione maiora sunt, tantopere miremur? quin potius te nobis imitandum, celebrandumq; proponimus? quid cessant id facere illi, quos circum te habes doctissimi viri? cur non omne studium, atque ingenium ad te laudandum conferunt, vt in te laudando maximam ipsi quoque laudem consequantur? num eos materiæ grauitas ab hac mente deterret? num tanto oneri ferendo haud pares sese esse intelligunt? vtinam ego eam dicendi facultatem qua ipsi præstant, consecutus essem; omni timore omisso, non aliud certe argumentum, quam eximias tuas virtutes ad scribendum deligerem. Quibus quidem ego tantum excitor, quantum olim Themistoclem illum adolescentem Miltiadis trophæo haud excitatum fuisse crediderim. Sed cum hoc ego beneficium maximum ducam, quod me in amicitiam tuam amantissime receperis, cumq; ab ingrati animi vitio vehementer abhorream, hanc inibo rationem, vt illud aliquo modo compensem: ipsas vir-

tutes

tutes tuas; semper in ore, animoq; habebo, eas omni tempore colam, & quantum tenues ingenij mei vires patientur, apud posteros testatas relinquam. Vale. Genua.

IO. VINCENTIVS IMPERIALIS IO. NICOLAO SAVLIO CARREGÆ.

AMICIOR *tua, quam verior Epistola. Perlibenter legi. quem mea laus deterruit, me tui stili candor illexit. Humanitati illa, hic tuæ doctrinæ detur. Viros doctos admiror, atque obseruo, non æmulor. Plane me noui. Tuæ in me summæ beneuolentiæ debeo plurimum. Offerat se occasio, tu & meæ, quæ summa itidem in te est, plurimum debebis. Vale.*

PASQVALI SAVLIO I. C. STEPHANI FILIO.

VIROS *doctrina præstantes summa obseruantia colo, idq; cum mea sponte facio, tum magnopere scriptorum auctoritate commoueor multa de illis prædicantium. Itaque, quamuis erga Stephanum Saulium Patrem tuum virum doctissimum incredibili amore incensus sim; vehementius tamen eorum scriptis inflam-*

flam-

flammor, qui eum summis laudibus extulerunt. Viri ita probi, veriq; cultores, vt eos tanquam mendaces nemo refellere possit; ita in eo laudando iudicio, atque voluntate consentientes, vt vna vox omnium, vnus omnium sensus esse videatur. hunc vero incredibilem amorem meum cum multos iam annos celauissem, diutius demum continere non potui, quin eum tibi illius filio indicarem. quæ voluntatis significatio tibi fuit adeo grata, vt me in amicitiam tuam humanissime receperis. cum vero illius scripta legendi miro desiderio tenerer, tu eorum mihi copiam libenter fecisti: & illius imaginem egregie pictam mihi ostendisti, quæ ita me delectauit, vt nihil vnquam viderim libentius. Itaque duplici voluptate vno tempore auctus a tuo congressu lætissimus discessi. habui in manibus eum librum, quem de homine Christiano ipse conscripsit, de quo quid Viri senserint non minus dignitate, quam doctrina præstantes, eo facile declaratur, quod conferendum cum antiquorum scriptis iudicauerint. Quæ certa, & illustria cum sint, nullum testimonium, aut laudationem desiderant. quantum vero doctrina, & eloquentia ceteris præstiterit Pater tuus, res ipsa declarat. res quidem præstantissimas ad scribendum delegit. in sententijs grauitas, in verbis elegantia inest; vt illius ingenium, atque scientiam haud satis admirari possimus. ac mihi quidem, & Patris tui doctri-

nam,

nam, & elegantiam, & huius libri argumentum consideranti dignior haud vllus videtur, qui materiem tam nobilem, & præclaram tractaret; vlla nec materies dignior, quæ tam docte, & eleganter tractaretur. nam, cum veteres illi optimum virum, ac ex omni parte beatum formauerint, nihil de vera, atque perpetua felicitate cogitantes; ipse quid Christianum deceat hominem docuit, qui non modo beate victurus sit, sed etiam æternam beatitudinem consecuturus. Itaq;, si liber vllus est, qui ad studium summi boni homines excitare possit, hic certe est, vt bonis omnibus diutius deberi non possit, qui a te summis precibus contendunt, vt eum nunc in tenebris latentem tandem in lucem prodire sinas. Patris quidem tui Manes dolere summopere arbitror, quod hunc librum diutius comprimas, quem ille certe fuerit in publicum editurus, si vitam longius produxisset. ex eo autem quanta ipse in Deum pietate flagraret, quanto iuuandi mortales studio teneretur, facile intelligimus. vt ipsius honeste acta vita norma quædam nobis esse poßit, qua & mores corrigamus, & studia nostra ad honestatẽ dirigamus. Diues quidem erat, sed vere diues. vt, quamuis multos diuitijs vinceret, ipse nunquam a diuitijs vinceretur. ijs enim & viuens prudenter, & magnifice vsus est, & moriens plura ex ijs Christianæ pietatis opera fieri iußit, vt tum humanitatis, tum libe-

hoc tempore acquiescam.. quarum alteram vt mihi conserues, te etiam, atque etiam rogo; alteram vitæ meæ æqualem futuram omni asseueratione tibi affirmo. Vale. Genua. Ex ædibus. Idibus Oct. CIↃ.IↃ.IIC.

LAVRENTIO FABRO.

POMPEIVM *Arnolphinum tam misere exstinctum ita grauiter doleo, vt nulla ex re quidquam solatij capere poßim. versatur mihi ante oculos illius interitus, qui cum multis de caussis fuerit acerbus, eo tamen nomine acerbior fuit, quod improuisus acciderit. mors quidem impendet omnibus, & se quisque ad eam parare debet; sed non parum refert a natura ne, an a casu proficiscatur. ille enim, si naturali morte interijsset, minus certe dolendum esset: sed hanc ob caussam maxime dolemus, quod tam inopinato casu ereptus repente nobis sit; quodq; cum omnia solatia defecerint, quibus discessus a vita leuior est. miseram rerum humanarum condicionem, a quibus tunc maximum periculum est, cum nihil periculi exspectas, aut suspicaris. Ille tunc e uita exceßit, cum optatis suis satisfactum iri sperabat. nihil autem magis optabat, quam ut cum suis in patria uiueret, & in studijs acquiesceret. et sane æquum erat, ut, qui agendis rebus multos annos dedisset, is suorum laborum eum caperet*

fru-

fructum, qui est in tractatione litterarum suauissimus. Vir doctrina, & ingenio excellens præstitisset, ut non minus otij sui ratio exstaret, quam negocij ante exstiterit; & multa scripsisset, quæ & nobis utilitatis, & ipsi laudis plurimum attulissent. cuius quidem otij te certe socium habuisset. uos una eademq; patria susceperat, uirtus coniunxerat; tu eum præ ceteris obseruabas, ille te contra unice diligebat. Itaque tali amico priuatus merito te totum lacrymis tradidisti, cum tibi plures dolendi caussæ, & grauiores sint, & illius interitu maiorem, quam ceteri omnes iacturam feceris. quo interitu audito, Parentes ætate confecti animis ita defecerunt, ut nec se a dolore uindicare, nec omnino viuere poßint. sed boni omnes illius mortem deplorant, quasi ad omnes ea pertineat. Aurius ipse Princeps ea ita commotus est, vt lacrymas haud tenere potuerit. nam, cum Pompeium sibi a secretis adsciuisset, probe scit, quanto sibi fuerit adiumento ad maximas res perficiendas illius consilium, & vigilantia. quo quidem in munere tantum ceteros Pompeius anteibat, quantum rebus gestis Princeps ipse ceteris antecellit. doctrina enim excelluit, maximaq; prudentia præditus fuit, ut eum non tam in aulis Regum aßidue uersatum, quã in Atticis Gymnasijs altum, & educatum esse dixisses. & cum omnes liberales disciplinas amplexus erat, tum poeticæ artis ardentißimo quodam amore

fla-

tum excellas, præclarum illud opus de alienandis rebus fideicommiſſo ſubiectis maxime teſtatur, humaniora etiam ſtudia complexus es, & in ijs maxima cum laude verſaris. Ego enim nunquam obliuiſcar illius temporis, cum in auguſtiſſimo Senatorum conſeſſu de laudibus Sereniſſ. Baptiſtæ Nigroni Reip. noſtræ Ducis Orationem habuiſti. tanta omnium, qui conuenerant, approbatione dixiſti, vt nemo prorſus inuentus ſit, qui non perfecti Oratoris exemplum ex te ſumendum eſſe affirmauerit. Domus vero tua tanquam optimarum artiũ domicilium a doctiſſimis viris frequentatur, nec vllus fere eſt litteris deditus, qui hac iter faciat, quin te videre, & alloqui velit. hos hilari vultu accipis, con ſilio iuuas, opibus ſubleuas, vt litterarum, ac litteratorum patrocinium, quod noſtra prorſus deſerit Ciuitas, ſolus propemodum ſuſcepiſſe videaris. Sed nolo hic plura de tuis laudibus, ne te offendam, qui ad veram gloriam benefactorum conſcientiam ſufficere exiſtimas. Deus ipſe te nobis diu incolumem ſeruet, vt his temporibus in maximo omnium Stephani Saulij Patris tui deſiderio eiuſdem nobis veram tum corporis, tum multo magis animi, atque ingenij imaginem diutius repræſentes. Vale. Genua ex ædibus XIII. *Kal. Septembris*. CIↃ.IↃ.XCVIII.

IOANNI BAPTISTÆ PINELLO.

NVLLA *res me magis delectat, quam tua consuetudo: nulla uero me magis excruciat, quam ea occupatio, quæ me impedit, quominus tua consuetudine fruar. ea enim uel unius horæ spatio multo mihi plus prodest, quam multorum dierum in libris euoluendis exercitatio. Idq; cum sæpe alias, tum maxime superioribus diebus expertus sum, cum domum tuam uenissem, tecumq; multis de rebus collocutus essem. nam silentium nostrum iam ægre ferebam; quod, qui nunquam concesserim, amantior tui ut quisquam esset, quam ego sum, amoris in te mei nullam darem significationem. Præsens libentißime te audio, absens maxima cum uoluptate tua Poemata lego. saltem hoc licebit, si illud per occupationes non licet. nec ulla maior est in summa incommoditate commoditas: quodq; sapientis esse arbitror, alteram altera compensabo. De tuis uero scriptis nonnihil hoc loco dicere constitui, ne, cum ea omnes laudent, solus ex omnibus tacere uidear. Est sane illud uerum, quod dicitur, ad poeticam artem homines nasci. annos XII. nondum natus eras, cum tuis ex laboribus certissimum futuræ uirtutis argumentum dabas. nam, qui puer a mul-*

tis

tis tunc laudabatur, eum aliquando virum factum omnes erãt admiraturi. non apud immemorem a Musis tot beneficia posita sunt. quam enim a pueritia Poesim amplexus es, hanc amas, hanc amabilem præ ceteris rebus existimas. Duo in poeta maxime requiruntur, natura, & ars. ipse vtraque ita excellis, vt nesciamus, vtrum magis in te artem, an naturam admiremur. harum vtraq; ita alterius auxilio indiget, vt neutra sine altera perfecta esse poßit. nam, quamuis poeta natura ipsa maxime valeat, arte tamen non parum ornatur, atque expolitur. hinc tot inuenta, quæ admiramur; hinc illa omnium disciplinarum cognitio, qua maxime præstas, quamq; ex Græcis fontibus haustam, ac deriuatam uidemus. ij sunt laudi proximi, qui aut prosunt, aut delectant; tu, qui utrunque simul efficis, omnem gloriam es assecutus. hoc certe difficillimum est; sed quæ difficillima sunt, facilia reddis, eaq; præstas, quæ alij a se præstari posse desperant. Omnium mentes, & animos mirum in modum afficis, nec magis in iocis leporem, quam in serijs grauitatem miror. est ita, ut ego dico. Versus in diuum Martinum non sine lacrymis legi; illos alteros non sine risu, quos in Baghinum catellum lusisti. in quouis scriptorum genere pari es felicitate. quis Clarorum Virorum res gestas maiori cum dignitate scribit? illas autem perturbationes, quibus amore sau-

cius

flagrauit. hoc indicant multa ab eo versibus conscripta, & in primis victoria illa, qua Christiani ad Echinadas potiti sunt. Egregium poema, quod tu bonarum artium studiosis debere non possis. quis in rebus agendis acrior, atque præstantior? non modo enim a litteris, sed a natura etiam ipsa illi prudentia contigit, quam postea vsu, & experientia auxerat, atque expolierat. Illius enim Principis arcana tractabat, qui multis cum imperio præest, quiq; Regis omnium maximi personam gerit, atque tuetur. In laboribus vero quis patientior? sæpe tu eum vidisti, cum multis epistolis respondisset, paullulum modo lectulo innixum multa de nocte capere quietem, vt admirareris in vno homine tantam inesse laborum tolerantiam, vt, cum maximis semper occupationibus vrgeretur, nunquam tamen defatigaretur. ad doctrinam vero, atque prudentiam summa accessit cum in scribendo elegantia, tum in dicendo suauitas, vt seu aliquid ab alijs nomine Principis, seu aliquid a Principe pro alijs peteret, facile, quod vellet, consequeretur. Quam paucis vero contingat, vt & in scribendo, & in loquendo excellant, nemo ignorat. ijs dotibus animi ad amplitudinem Principis, & ad vtilitatem amicorum vtebatur. nulla enim ei post Deum cura maior Principe suo: & maiore voluptate afficiebatur, dum bene de hominibus promerebatur, quam si fortunis suis vel plurimum

addidisset. Quid plura commemorem? maximam accepimus plagam, quæ quoniam insanabilis est, illud perficiamus, ut aliqua saltem ex parte leniatur. Id autem assequemur, si animum ad Deum dirigentes in illius vnius voluntate conquiescemus; si Pompei Arnolphini nomen, atque virtutem, quantum ingenio possumus, celebrabimus. Ego equidem hoc onus libenter susciperem, nisi grauius esse, quam vt mea sustinere possit infirmitas, intelligerem. Hoc tu suscipias velim, mi Laurenti, qui, cum ingenio excellas, & Pompeij actionibus sæpe interfueris, illius vitam perscribere facile poteris. Hoc a te amicitia postulat; ad hoc te pietas excitat, qua etiam mortuum Pompeium prosequeris. Opus erit non modo iucundum, sed etiam vtile, tum propter rerum varietatem, qua maxime delectamur, tum propter perfectum exemplum, quod ijs propositum iri video, qui in eodem, in quo ipse excelluit, munere se exercent. omnia enim, quæ in huiusmodi persona maxime requiruntur, ea in Pompeio summa fuisse animaduertent, & cum animaduerterint, imitatione consequi studebunt. Hæc singula grauissima sunt, sed ea vniuersa ad impetrandum, quod a te petimus, maioris ponderis futura speramus. Vale. CIↃ. IↃ. IC.

IO-

IOANNI ANTONIO GVARNERIO.

Bergomum.

QVEREBAR *mecum de paucitate scriptorum, verebarq; ne antiqua perfecte scribendi laus omnino amitteretur, cum historia tua de bello Cyprio, deq; memorabili illa nauali victoria in manus meas peruenit. Hanc ego historiam cum auide legissem, ita me delectauit cum sermonis elegantia, tum rerum excellentia, vt nulla iamdiu lectio mihi iucundior fuerit, ac opus suis omnibus numeris, ac partibus absolutum esse duxerim. Eos enim laudas, qui in eo bello vel gloriosam mortem oppetierint, vel strenue, fortiterq; pugnauerint; Principum animos ad concordiam magnopere hortaris: qui si hanc historiam legent, quamuis in illum tæterrimum Christiani nominis hostem inimico animo sint, omnino tamen necesse est, vt, ciuilibus controuersijs restinctis, multo grauius ira exardescant. ac ipse nihil quidquam mallet, quam vt intestinis bellis illi confligtarentur, cum eorum discordia potius, quam sua potentia tantus factus sit. Quæ cum animo agitarem, primum Deo Opt. Max. gratias egi, qui tuam hanc laudē esse voluisset, vt vnus in Italia Latinas lit-*

teras excitares; deinde tibi absenti de ista præclara scribendi facultate plurimum sum gratulatus. cuius quidem gratulationis dum cogito per litteras aliquam tibi dare significationem, ac, vt id commodius facere possem, idoneam mihi dari occasionem exspecto; illud optatissimum accidit, vt amicissimus meus, qui cum sæpe de te loquor, Oeconomicum Xenophontis legendum mihi dederit, quem tu e Græco in Latinum elegantissime conuertisti. Velim mihi credas, non prius e manibus eum deposui, quam totum diligenter absoluerim. Is ita mihi placuit, vt Ciceronianum Xenophontem legisse visus sim. hac altera lectione ad te scribendum magnopere sum incitatus, vt me diutius opportunioris temporis exspectatione haud sustinere potuerim. næ tu materiam cepisti nobilem, in qua industriam tuam exerceres. Hic enim liber, qui ordo in re familiari domi præsertim teneri debeat, tradit, & præscribit. porro ex domibus Ciuitas constat: itaque, si domus labefactetur, Ciuitas corruat necesse est. Equidem sic existimo, a quo domus non bene regitur, ei non tuto committi Ciuitatem. quod te non fugit virum sapientissimum, qui, cum hunc librum iampridem latinitate donasses, qui priuatam cuiusq; disciplinam continet, historiam tuam saluberrimis præceptis postea exornasti ad eam Ciuium disciplinam pertinentibus, quæ Remp. spectat. ac tua omnino scripta ad virtutem, &

iustitiam

iustitiam referuntur, exemploq; docent eos sibi, Reiquep. male consulere, qui ea scribunt, quæ aut mores corrumpunt, aut legibus aduersantur. Ac vtinam Pij V. Pontificis Maximi vitam, quam scribere institueras, ad exitum perducere potuisses; profecto veteris sanctitatis exemplum habituri, & magnum hinc fructum percepturi fuimus: quod amplissimum tuorum laborum præmium putas. Nihil aliud spectas in tuis scriptis, quam vt homines doctiores, & meliores fiant: quod pietate in Deum, & rerum cognitione assequeris, quarum altera te flagrare, altera vero excellere, ea ipsa scripta testantur. Te felicem, qui paucorum annorum labore eam tibi comparaueris gloriam, quæ in omnium seculorum posteritate admirabilis futura sit. iure fatetur Patria tua plurimum sibi ornamenti ex tuis scriptis accessisse, iure summum a te beneficium litterati homines habuisse prædicant. Ego equidem, qui, vt cum ipsis Romani sermonis cupiditate me conferre possim, ceteris tamen rebus nullo modo sum comparandus; absens tui amore incensus sum, te colo, atque obseruo, idq; vt re ipsa perspicias, operam dabo. hoc mirari te certe nolim, cum tua virtus vel absentes, longeq; disiunctos, nedum præsentes facile alliciat. me quidem & allexit, & tibi vehementer addixit, vt nihil magis hoc tempore spectem, quam vt amicitiam tuam consequar. qua nihil mihi carius, vel iucundius esse posse, meq; præ

ea

ea omnium Regum opes pro nihilo putare, velim existimes. a te igitur peto, vt aditum mihi ad eam aperire velis, meq; in tuorum numerum libenter adscribere. quod confido te esse facturum, cum excellentem doctrinam excellens plerumq; humanitas comitetur. Vale. Genua. VIII. *Kal. Iul.* CIↃ.IↃ.IC.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

IO. ANTONIVS GVARNERIVS S. D.

RVS *forte concesseram, cum tuas litteras accepi, ornatissime Io. Nicolae. ibi ad XX. dies, vt loci amænitate, & salubritate fruerer, me continui. ea commoratio responsioni diuturniorem moram attulit. sed ex litteris magnum cepi fructum & officij tui, & iudicij: officij, quod eximia quædam voluntas, & amor summus erga me tuus ex omnibus partibus se ostendit. quid autem mihi optatius obtingere poterat, quam vt tuam gratiam mihi compararem, qui non solum amplissima familia natus esses, sed ingenio, doctrina, consilio, magnanimitate, virtutibus deniq; omnibus excelleres? iudicij, quod tam graue testimonium a te meæ historiæ impertitum viderem: hoc opus auctoritate tuæ sententiæ tantopere probari, meq; aliquid dignum tuis auribus deprompsisse, vehementer gaudeo: modo*

id

id non abundantia magis humanitatis, quam vllo historiæ merito feceris. etsi mihi persuadeo me, quidquid habuerim iudicij, in illum librum contulisse: me tamen melius animatum, quam paratum eam historiam conficiendam suscepisse credo. Etenim scribendæ historiæ munus haud scio an flumine orationis, & varietate rerum, debeat omnium esse maximum. In quo ordo temporum, fortunæ vicißitudines, rerum ratio, consilia, acta, euentus expendendi: ingenti prudentia tractanda Reipublicæ vulnera: multorum perfidia, prauitas, segnities, falsæq; virtutes grauiter accusandæ: Ducum miserandi casus, vita, mores, natura, instituta subijcienda oculis: regionum situs describendi: eorum ingenia, quos laudaueris, sæpe vituperanda: occasiones, quæ in omnibus rebus dominantur, notandæ. Studium lectoris modo exspectatione, aut euentu, nunc lætitia, aut molestia, non nunquam spe, aut metu erectum retinendum: explicandis rerum nouarum caussis, & remedijs incommodorum adhibendis, in admirationem rapiendi animi: vbi mendacij notam subeas, non modo si quid falsi dicas, sed etiam si quid veri prætermittas: vbi si res antiquitus gestas persequaris, ignorantiæ argui poßis: si historiam tuæ ætatis æqualem amplectaris, suspicio amoris, aut simultatis ægre vitetur: vbi vnica oratio viri fide digni tempestiue habita poßit vel languentes acies incitare, vel incitatas

repri-

reprimere, & ad tempus moderari. Quanta rerum ciuilium, quanta bellicarum scientia scriptori comprehendenda est? ego, qui nullam partem vllius publici muneris attigissem, neque vnquam hostem, aut castra aspexissem, ad sapientissimorum, & eruditissimorum virorum præcepta, & artes confugere, & inde multa mutuari ausus sum. Sed in hoc quoque verendum fuit, ne id, quod Annibal Phormioni Peripatetico exprobrasset, in me apte caderet. Sexcentæ aliæ difficultates, quibus a scribendo deterrerer, se obtulere, sed vna præcipue, quam tu per inuolucra verborum attingis, tardare debuit, quod veræ, Germanæq; linguæ Latinæ gustus amissus est. doles, & doles meritissimo, dignitate, & candore Latini sermonis exstincto, barbariem quandam, & consuetudinem horride, & inculte scribendi irrepsisse. tanti mali culpa in nostri sæculi Principes conferenda est. Virtutis vberrimum alimentum est honor. quod vero illi propositis præmijs ad scribendum non eliciunt eruditissimum quemq;, ingeniorum fructu carendum est. quid caussæ fuisse arbitramur, cur Alexandri Magni temporibus tot insignium scriptorum ingenia floruerint, nisi quia & ipse doctrinæ gloria præstitit, & eruditos viros maximo in honore habuit? Lycon Scarpensis Poeta, qui in comœdia, quam agebat, versiculum intexuerat, quo quippiam petentis personam exprimebat, decem talentis

donatus

donatus est. Ennius, & Polybius ab Africano, Archias poeta a L. Lucullo, Theophanes Mitylenaeus a Pompeio, alijq́; plurimi ab alijs Principibus & Ciuitate, & alijs præmijs amplißimis decorati sunt. quid igitur mirum, si illa tempora, quibus labores honoribus, & commodis compensabantur tantam scriptorum vim, & copiam ediderint? ibi libentissimis animis labor suscipitur, vnde honor, & emolumentum speratur. quid mortales non audeant, si magna conantibus paria præmia proponantur? cuius enim rei præmium est apud Principes, ea magnis incrementis crescat, necesse est. nunc calami fluunt de manibus, concidunt animi, ingenia hebescunt. cur? quod has artes profeßi spem pro re ferentes a Principibus dimittuntur. quid vero non angantur, cum se ijs rebus excludi cernant, quæ ambitiosorum, & assentatorum pateant calliditati, & versutijs; interdumq́; accidat, vt, quæ debentur virtuti, ea persoluantur vitiorum fœditati? Sed longe errant, mea quidem sententia, Principes, qui scriptoribus magnos animos magnis præmijs non faciant; quorum opera nomina eorum memoria alantur, & sermonibus crescant, exemplaq́; plena dignitatis, plena decoris, quorum magnam copiam nostra ætas effudit, posteritati prodantur. at sunt illi tam grauibus occupationibus districti, vt hæc respicere magnum sit. quid? si quas curas in res minoris ponderis conferunt, eas ad

seru andam sui memoriam conferrent, tum etiam, cum spiritum reddiderint, virtutum laude gloriosius viuerent. Ego virtutem emolumentis non metior. me item natura studiosissimum, & appetentißimum honestatis esse fateor: &, si id peccare est, fateor id quoque: pingere res Belgicas, aut Pannonicas penicillo meo, & non inertis senectutis grato, & honesto fungi munere, in animum induxeram. Sed quod in ea tempora incidimus, quibus studia Principum ab hoc genere monumentorum auersa comperissem, id quod ego in rebus meis expertus sum, quodq́ in remoto hoc Italiæ angulo sedem, & domicilium habeo, quo raro, & sero acta certa, & vera perferuntur, multam salutem huic scribendi rationi dicendam duxeram; satiusq́ existimaueram me in vberiora, & sanctiora sacrarum litterarum penetralia abdere. Nunc tu graui, & polito tuo iudicio, quod de rebus meis fecisti, ad repetenda, quæ deponere statueram, inflammasti, & veterem suauitatem noua iucunditate quasi titillasti. Sed de hoc viderimus posterius. Nunc non dubito, quin huius officij Camillus Tertius, qui rerum capitalium Iudex istic delectus est, auctor sit, isq́ mihi tuum amorem, & gratiam conciliarit. Mihi cum eo vetus, & sanctior quidam vsus intercessit, & in omni genere controuersiarum, & negociorum meorum, eius animus, opera, auctoritas mihi præsto fuit: sicq́ de me optime

me-

meritus est, ut me ei multis beneficijs cum veteribus, tum recentibus deuinctum non solum fatear, sed etiam gaudeam. non modo Iurisconsultus spectatissimus est, sed etiam vir optimus, & tua amicitia dignissimus. In summis eius laudibus vnum illud excipio, quod cum omnia mea dicta, & facta laudat, eum magis amore, & naturæ consuetudine, quam iudicij acumine uti censeo. ut ut res est, plurimum lucri mihi videbor fecisse, si mei absentis caussa illum præsentem sic diligas, ut eodem amoris loco sit apud te, quo ego esse cupio. Id vt facias, a te omni contentione peto, sic ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim. Si ad id, quod te tua sponte facere puto, meæ item litteræ magnum afferant cumulum, erit mihi gratum, & tibi posthac iucundum. Ego quid possim nescio, uel potius me parum posse sentio; sed tamen quantulumcunque in me est studij, operæ, curæ, ingenij, id tibi polliceor, ac defero. Tantumq; abest, vt ego meam obseruantiam tibi denegem, ut insuper gratiam tibi habeam maximam, quod facultatem, qua in tuorum numerum adscribi possem, obtuleris. Illud ad extremum studiosissime peto, & oro, vt, quod nostræ necessitudinis initio hoc te facturum recepisti, id ad exitum augeri, & cumulari pro tua humanitate velis. Vale. Datum Bergomi. v. Kal. Augusti. CIↃ.IↃ.IC.

IO. BAPTISTÆ CORNERIO, NICOLAI FILIO.

Panormum.

QVANTVM *mihi præsens voluptatis afferebas, tantum postea doloris hinc abiens attulisti. qui quidem dolor non modo longinquitate temporis non minuitur, sed etiam in dies magis augetur. Omnino nonis illis Martijs, quo die ex portu soluisti Siciliam petiturus, nihil molestius. nam, tametsi secundo anni tempore optimo te nauigio commiseras, tamen usque eo sollicitus fui, dum te incolumem Panormum peruenisse cognoui. quod ex tuis postea litteris cum intellexissem, quibus præterea significasti te non modo commode, sed etiam strenue nauigasse, tanto gaudio sum elatus, vt fecerim continuo omnes participes meæ voluptatis. Sed ea cura vix liberatus, nunc alia molestissima conficior. nam ita sum tui videndi desiderio incensus, vt illud ferre non possim. quippe qui tua iucundissima consuetudine delectabar, tuis me officijs adiuuari, humanitate, & lepore recreari intelligebam. quibus ita me tibi deuinxisti, vt ex æqualibus tuis neminem habeam cariorem. Itaque sine te iniucunde prorsus viuo; quia quæ in hac vita amariora sunt, tot ingenij tui suauitatibus* con-

condiebă. hoc me tamen cõsolatur; quod absentes iidem sumus, qui semper fuimus; & quamuis alter ab altero absit, vtriusque tamen animus ab altero minime abest. Viget igitur amicitia nostra, perpetuoq; vigebit, nec ei aut locorum longinquitas nocebit, aut ipsa dies, quæ omnia conficit. quæ primum similitudine morum inter nos constituta, deinde virtute aucta, atque confirmata ad eam amicitiæ ideam, & speciem absolutam, quæ animo tantum cernitur, proxime videtur accedere. Illud etiam mihi solatium relinquitur, in quo & acquiesco, & dolorem sæpe depono; quod, cum te istuc negotiandi caussa contuleris, spero fore, vt breui rem augeas, ac summa cum dignitate in patria viuas. Hæc etiam te spes ad illud consilium capiendum, vt hinc discederes, alacriorem reddidit. nihil enim magis desideras, quam vt ad summam voluntatem, quam habes alios iuuandi, atque ornandi, summa quoque facultas accedat. Quod nisi tanta res ageretur, amicitia nostra alterum ab altero diuelli passa non esset: vt paucos annos obdurare nos æquum sit, qui nobis, Deo bene iuuante, multorum annorum letitiam afferent. Interim desiderium illud, quo alter ex altero conficitur, magna ex parte litteris leniemus. quare velim, vt, quod a negotiis tibi supererit otii, in scribendo consumas. tuis enim suauissimis litteris nihil mihi potest esse iucundius amorem in me tuum singularem præseferen-

ferentibus. Ego equidem, quantum in me erit, & cupiditati tuæ, & officio meo in hoc genere satisfaciam, & eo libentius, quod meas tibi litteras non iniucundas esse intelligo. Quas quidem crebriores, & longiores mitterem, ni occupationibus distinerer, & parum tranquillo animo essem. Litterarum igitur bono vtemur, quæ nos absentes præsentes efficiunt, donec tempus illud appropinquet, quo voti compos in patriam redeas, eaq; nobiscum, vt antea, simul fruaris. quod quidem tempus ego, & Nicolaus Pater tuus vir summa prudentia, & consilio præditus, cui in te amando, pæne dixerim, non concedo, spe, & cogitatione præcurrimus. Vale. Genua. Kal. Octob. CIƆ.IƆ.IC.

F. HILARIONI A S. IO. BAPTISTA GENVENSI, CARMELITAE DISCALCEATO.

Romam.

QVONIAM *amicorum bonis non minus, quam proprijs lætari soleo, te in istam Sodalitàtem nomen dedisse tantum abest, vt doleam, vt etiam plurimum gratuler. Video enim te tanquam ex incendio humanas miserias effugisse; solida caducis, certa incertis prætulisse. Quod sane beneficium in ceteris, quæ in*

nos

nos Deus liberali dextera confert, vel præcipuum duxerim. nam, si vnusquisq; nostrum tum propriæ, tum alienæ saluti vult consulere; Deum Opt. Max. totis viribus, totoq; pectore amare debet. hæc omnia, in quo vitæ genere melius a nobis præstari possint, quam in eo, quod ipse instituisti, minime video. Itaque absentiam tuam æquo animo fero, quæ mihi alioqui grauis, & odiosa esset, cum me fructibus priuet iucundissimæ consuetudinis tuæ. Illud, vere dicam, molestum mihi contigit, quod, insciente me, hoc nouum consilium ceperis; cum postularet amicitia nostra, vt non modo ipsius consilij particeps, sed etiam tibi comes, ac socius essem. Cuius quidem amicitiæ haud rationem habuisse videris, cum secundis vsus ventis in tranquillum te portum contuleris, me vero quotidianis variarum cupiditatum fluctibus expositum reliqueris. nunc ea tibi subsidia adsunt, quibus impetus Sathanæ facile superes; & quia Christo seruis, ideo iucundissima frueris libertate. Equidem vehementer doleo, cum eadem vtrique fuerit voluntas, non eandem item esse viuendi rationem; eam enim demum esse vitam arbitrarer, quam in tui, tuiq; similiũ virorũ contubernio viuerem. Illud me tamen consolatur; quod te mei oblitum esse non suspicor; quodq; spero te haud commissurum, vt istud mihi te nouum vitæ genus immutet. hanc autem spem non fefelleris, si me tuis precibus adiuueris,

vt

& in studio summi boni languentem litteris excitaueris. Siquidem ob eam potissimum caussam vos in Ecclesia Dei tanquam in specula collocati estis, vt consilio, & vigilantia nos, qui in huius sæculi errore viuimus, sarctos tectos ab omni periculo conseruetis. nec dubium est, quin ad vestrum omnium preces respiciat Deus, qui gratissimam habet hanc religionis professionem ab animo casto, puroq; profectam, & apertissimis signis vos sibi charissimos esse declarat. Vos Christianæ militiæ nomen ex animo dedistis, sacris rebus, ac ritibus præestis; vos non solum de conseruanda, sed etiam de augenda Ecclesiæ Catholicæ dignitate assidue cogitatis. Hinc summa Dei cura, & prouidentia perspici potest, qui, quo plures ad euertendam Petri nauim procellæ oriuntur, eo peritiores ad eam confirmandam gubernatores accersit. Itaque, quamuis industria vestra humano generi semper sit utilis, his tamen temporibus, cum mores ad deteriora quotidie magis inclinent, eam vtilissimam esse, atque salutarem omnes fatentur. preces igitur tuæ ad Deum delatæ maximo mihi erunt emolumento: tuis uero præceptis, monitisq; ex sæuis tempestatibus in ipsum tandem salutis portum me conferam. Id enim cogito, id maxime cupio; ut eam demum uitam mihi uiuere liceat, quam præclara mors terminabit, immortali uitæ principium datura. Vale.

Genuæ. IIII. Kal. *Maij.* CIↃ. IↃ. C.

I A-

IACOBO TISCORNIÆ, HIERONYMI FILIO.

QVOD *in describendis marmoreis inscriptionibus, quæ Genuæ leguntur, ijsq; mihi impertiendis tantam adhibeas diligentiam, permihi gratum est. Equidem huius generis monumentorum miro quodam desiderio flagro. Hoc vero desiderium in te vno maxime nititur. nec alium facile reperiam, qui ea cum emendate scribat, tum optime intelligat, quod ipse vtrunque egregie præstas. longe tu quidem, cum annos quindecim nondum habeas, in vtraque lingua processisti, ad summam eloquentiæ laudem in dies propius accessurus. vel his superioribus mensibus, cum in consessu doctissimorum virorum Græce dixisti, bone Deus, quam perite, quam scienter eo sermone vsus es? vt multos fefelleris, qui te in Græcia natum esse crediderint. Ad hanc linguarum notitiam optimarum artium cognitionem adiungis, in quibus ita versaris, vt non tibi tantum, verum & amicis, & patriæ plurimum & vtilitatis, & dignitatis aliquando sis allaturus. perge in cursu laudabilis vitæ. Ego equidem, si quis ex nostris hominibus ingenio valet, eum vnice diligo, & quibus studijs, & officijs possum, libenter complector. Nam venit mihi interdum in mentem vereri, ne exteri homi-*

nes, quoniam nobis mercaturæ cura ſemper præcipua fuit, id magis ingenij vitio fieri exiſtiment, quam neceßitate quadam, quæ nos in hanc vitæ rationem deduxerit. efficias igitur velim, vt omnes intelligant, cum Genuenſes homines bellica laude multos ſuperauerint, eos non facile cuique hominum litterarum gloria cedere. a me certe omnia volo exſpectes, quæ ab homine tui amantiſſimo proficiſci poſſint. a te vero nihil magis peto, quam vt mihi in amore reſpondeas, operamq́ des, vt maiorem æſtatis partem vna iucundiſſime traducamus. quod commodius nunc facere poteris, cum me nuper in Violaria contulerim, quæ tibi a Gymnaſijs recta domum eunti propemodum occurrunt. hæc amænitate præcellunt, hic ſub arboribus, nunc Ciceronis dulces libellos, modo Virgilij aurea carmina legemus, & ſua Regibus Regna, & diuitibus diuitias non inuidebimus. Vale. Genua. ex Violarijs. XII. Kal. Iunij. CIↃ.IↃ.C.

GABRIELI CHIABRERAE,

Sauonam.

VT *video, in litteris colendis eadem vtriuſque noſtrum diligentia, non eadem tamen ſententia, nec eadem felicitas eſt. Tu Etruſcam linguam in delicijs*

habes,

habes, eamq; lepidissimis scriptis ita exornasti, vt sicuti pulcherrima virgo omnium in se oculos facile conuertat. Ego Latinam vehementer admiror; sed ad eam illustrandam vt mihi voluntas non desit, facultatem tamen deesse intelligo. Itaque, quod proximum est, libenter facio; nihil prætermitto ad eos excitandos, qui cum ingenio, & memoria præstent, eam facile, si velint, veterem in splendorem, ac dignitatem restituant. Cum autem inscriptiones illas, quæ in locis sacris, vel profanis leguntur, tanto artificio factas esse videam, vt Latinæ linguæ elegantiam, atque proprietatem maxime ostendant, ad vsum meum eas colligendas suscepi, vt aliquo nouo quasi pabulo huius linguæ desiderium perpetuo alam. Cumq; harum inscriptionum magnam istic copiam esse intelligam, te vero in his rebus, quæ ad amicos pertinent, diligentissimum cognouerim, in summo earum desiderio per te mihi satisfactum iri confido. a te igitur peto, vt eas exscribendi homini diligenti negotium dare ne graueris, & exscriptas ad me quam primum perferendas cures. nam, cum Ciuitas ista & Patres amplissimos, & Pontifices sanctissimos tulerit, qui tametsi in tanta Imperij mole mentem, & oculos alio defigere cogerentur, aliquando tamen ad suam ipsorum patriam ornandam respexisse credibile est; eas ipsas inscriptiones multo pulchriores ceteris existimo. Itaque, si huic meæ cu-

piditati satisfeceris, multum me tibi debere fatebor; plurimum vero, si ingenij tui fructus mihi quoque degustandos impertiueris. nihil enim ijs dulcius, nihil mihi optabilius esse potest ad ea studia mitiganda, quæ sine aliquo quasi condimento nobis subacerba viderentur. Laurentius enim noster, antequam Lucam proficisceretur, certe nobis dixerat poema a te componi de vita, & moribus diui Ioannis Baptistæ, & præclari huius operis maximam apud omnes exspectationem commouit: quam quidem exspectationem, quia ingenij tui neruos optime nouimus, fore confidimus, ut sustineas, ac tuearis. Vale. Genua. ex Violarijs. pridie idus Iul. CIↃ. IↃ. C.

LEANDRO INVREÆ, SILVESTRI FILIO.

QVIA locorum interuallo alter ab altero disiungimur, has ad te litteras dare volui, ex quibus de statu meo aliquid scires, tuas vicissim de valetudine, ac studijs tuis auide exspectans. primis illis diebus, quibus me in Violaria contuli, ita graui capitis dolore conflictabar, totumq; corpus lassitudo quædam ita male habebat, ut nec scribere, nec legere, nec ad ullam plane cogitationem me referre possem. quæ signa cum febrim antecedere sæpe soleant, ab ijs grauiora metuens ma-

gna

gna in sollicitudiue, atque timore uersabar. Sed in hac sollicitudine, atque timore plane me leuauit Camilli Boerij medicinæ laude præstantis humanitas, & diligentia: cui quidem uiro, quod huius lucis usura perfruor, quod intermissa studia repeto, ni secundum Deum acceptum referam, ingratus sim. Valetudine recuperata, id spectaui maxime, ut in otio potius essem, quam in negotio, & paullo solutiore animo mihi uiuendum esse duxi. ædes enim, in quibus nunc habito, amœnissimo loco sitæ sunt. est hic etiam hortulus, in quo me sæpe recreo, atque colligo. multi præterea colles spectantur pulcherrimis uillulis undique referti, cum aspectu iucundi, tum fecunditate insignes. Nam, de augustissimo illo in Colle Iani Templo Beatæ Mariæ Virgini dicato, ad cælum prope exstructo, quid dicam? illud certe quoties uideo, toties aliquod e priscis Romanorum monumentis uidere mihi uideor. nunc in eo totus sum, ut ad studia rursus me referam, & quod proxime tempus amisi, pro uiribus sarciam. Sed non quæ antea, nunc eadem de litteris sententia est. nam cum ijs libris multos annos dederim, qui me elegantia delectarunt, nunc certum est illos amplecti, qui mihi doctrina prodesse possint. Itaque, quod a negotijs temporis dabitur, id omne sacris in litteris conquiescam; & non mihi gloria deinceps, quam salus erit antiquior. qua quidem in re, ut multis in alijs, cum tuum sensum cum

meo

meo congruere cognouerim, ad eam perficiendam alacrior fiam. Interim dum mihi Sanctorum Patrum opuscula paro, Aristotelis de morali Philosophia libros legere aggressus sum. qua quidem lectione ad vitam sapienter instituendam haud scio, an vlla vtilior esse poßit. hos tu quoque libros in delicijs habes, & quemadmodum ex eorum cognitione plurimum emolumenti, ita ex ignoratione plurimum detrimenti percipi posse affirmas. ac vtinam eos vna euoluere, & quæ in ipsis notauerimus, inter nos conferre possemus; certe ex collocutionibus nostris incredibilem non modo voluptatem, sed etiam vtilitatem caperemus. Hæc de statu meo quam breuißime potui: tu, si vicissim de tuo aliquid scripseris, simulq́ ingenij tui fructus ad me miseris, pergratum mihi feceris. Nam, cum Siluester Pater tuus vir sapientissimus suo te exemplo ad gloriam excitet; cum Albaria villa tibi iucundissima otia præbeat; non ita te de Musis male mereri existimo, vt tot subsidijs instructus tuas silere musas patiaris. tuis quidem suauißimis litteris, tuiq́ similibus, cum dulci aspectu tuo, colloquioq́ caream, nihil mihi carius esse posse, nihilq́ iucundius, velim existimes. Vale. Genua. ex Violarijs. XIIII. Kal. *Sept.* CIↃ.IↃ.C.

PAVL-

PAVLLO RHAMNVSIO, IO. BAPTISTAE FILIO.

Venetias.

INCREDIBILIS *tuorum scriptorum sitis me tenet, nec eam adhuc expleo, ac vereri interdum cogor, ut vnquam explere possim. Sæpe enim litteris meam tibi cupiditatem patefeci; quibus cum rescriberes, tua te scripta nunquam diuulgasse, & quidquid scripseris, ut ceteris potius, quam ipse tibi satisfaceres, scripsisse affirmabas. quod etiam suis mihi litteris affirmauit Hieronymus tuus. Spem mihi tamen iniecistis fore, ut historia illa aliquando exiret, quam Patriæ tuæ decreto scripsisti adolescens, cui ea in re, quæ ad illius gloriam spectat, industriam tuam requirenti deesse noluisti. Itaque dici non potest, quanta lætitia affectus sim, quantoq; huius historiæ legendæ desiderio sim incensus. iniquo enim animo ferebam tantum Italiæ eripi ornamentum, ac tantam in litteris iacturam fieri nullo vnquam tempore sarciendam. quæ quidem leuior esset, si, quemadmodum exemplo Socratis, qui nullam scripsit litteram, vos fortasse tuemini; ita multos quoque Platones haberetis, qui sermones vestros susciperent, atque immortalitati commendarent.*

darent. Sed vnius hominis auctoritas tibi pluris esse non debet, quam totius humani generis consensus, qui ad virtutem communicandam nos hortatur, atque excitat. quamquam nulla te res magis ad hoc hortari, atque excitare debeat, quam ipsi maiores tui, cum in Remp. vestram meritis, tum scriptis editis maxime illustres. Sed præclare nobiscum actum est, cum Patres illi sapientissimi domesticæ historiæ scribendæ munere tibi demandato de suscepto consilio te deduxerint: quibus omnes, qui Latine scribendi elegantia delectantur, hanc sese historiam acceptam referre confitebuntur. quæ cum in manus meas nondum venerit, & in summo illius desiderio vix me sustineam, facere non possum, quin iterum ad te scribam, simulq; rogem, vt si iam ea edita est, ad me quam primum perferendam cures: sin minus; quando eam editurus sis, ad me perscribere ne graueris. Nam hoc profecto tibi affirmare possum, mihi nunc nihil rerum omnium esse, ex quo pari lætitia, ac ex huius historiæ exspectatione afficiar. Interim hac ipsa exspectatione desiderium leniam, & Rhamnusiæ Gentis Splendorem, qui totam Italiam licet ingenij, & eloquentiæ gloria illustrem, multo tamen illustriorem luce sua reddit, mecum ipse animo meo assidue contemplabor. Vale. Genuæ. ex Violarijs. Non. Oct. CIↃ. IↃ. C.

IO-

IOANNI ANDREÆ CEVÆ,

Ayelli Lacum.

NON *quod amicitiæ nostræ oblitus sim, multis iam mensibus nullas ad te litteras dedi, sed quod verebar, ne tibi inanibus obstrepere litteris in tuenda animarum salute dies noctesq; elaboranti parum considerati hominis esset. Sæpe autem numero de statu rerum tuarum ex patre tuo quæsiui, & ea cognoui, quæ multo iam ante euentura prædixi, quæq; maximis præmijs ornatum iri auguror: te scilicet omnia præstare, quæ pastoralis officij, & muneris sunt; ex industria tua homines fructus capere vberes, & præstantes; coli te, atque obseruari ab omnibus, qui de Religione bene merentur. quæ cum audimus, non ijs quidem inuidemus, qui ea vident, sed ea quoque nobiscum communicari certe vellemus. ac vtinam ipse negotijs valere iussis ad te accurrere possem; nihil mihi quidquam esset, in quo iucundius tempus consumerem, quam in tua consuetudine, tuisq; doctissimis sermonibus fruendis. quod quando hoc tempore minime licet, sperabam fore, vt tui absentis desiderium litteris lenirem, sed eam mihi spem per locorum interualla eripi video, & ereptam magnopere doleo. Itaque cum te ab Archie-*

piscopo Consentino ad Summum Pontificem missum iri intellexissem, mirum in modum lætatus sum, tum propter tanti viri de te iudicium, tum quod facilius Genua Romam litteræ perferentur. quamquam huic lætitiæ non nihil molestiæ aspersum est, quod Christi ouibus timeo, quæ tibi commissæ sunt, quibus sine te pastore vigilantissimo maxima a feris pericula impendent. Sed ijs quoque absens prospicere poteris, modo cœptam erga illas beneuolentiam conserues, & eam omnibus studijs, atque officijs auctiorem facias. quod a te factum iri illæ sibi persuadent, & eo magis, quo latior Romæ virtuti tuæ campus futurus est, in quo ipsa commodius excurrere, cognosciq; poßit. In qua quidem Vrbe cum sedem locare cupias, Sanctæ Seuerinæ Cardinalis, ac ipse Summus Pontifex te certe otiosum iacere non patientur, cum & vitam tuam probauerint, & in priuatis, publicisq; negotijs virtutem cognouerint. Lætor equidem, quod spero fore, vt dignitatem tuam multarum dignitatum accessione cumules; sed dolere simul cogor, quod vereor, ne magna studiorum nostrorum iactura id facias. nam, cum te natura & ad scribendum, & ad agendum ingenio finxerit aptißimo; cumq; his duabus maxime rebus gloria tua nitatur; velim, vt aliquid litteris mandes, quod a posteris legatur, nomenq; tuum immortalitati commendet. Nonnulla quidem legimus,

quæ,

quæ, quantum in ſcribendo excellas, indicio ſunt; ſed ex ingenij tui fontibus ſitim noſtram explere cupimus; cum ea, quæ adhuc ſcripſiſti, riuulorum inſtar primoribus labijs modice dumtaxat irrigandis comparata videantur. Ex hoc meo conſilio hæc bona fluent; tibi poſt mortem immortalem famam relinques; eorum ſaluti egregie conſules, quos tuæ fidei Deus commiſit; de Patria tua bene mereberis, quo nihil honeſtius, nihil præſtantius. quæ quidem te ad amplioris Sacerdotij gradum extolli, & maiorem tibi vineam colendam tradi cupit; vt eam incolumem ſerues, & longe pulchriorem, & fecundiorem efficias. faxit Deus, vt illa dignum tam pio deſiderio ſortiatur effectum. Supereſt, vt de ſtatu meo aliquid ſcribam, de quo te vehementer laborare, cum me vnice diligas, non dubitauerim. Valetudine vtor ſatis commoda, quod maximum præpotenti Deo beneficium debeo. In Violarijs me contineo, qua maxime vrbis parte delector, cum ad meridiem expoſita ſit, & ſumma cæli, ſoliq; amænitate fruatur. Hic lego, aut ſcribo, aut ad cogitandum prorſus me do. ſæpe enim cogitatione ita paſcor; vt ipſa mihi pæne cogitatio vita ſit. non me ambitio exercet, non auri cupiditas, quibus quaſi tempeſtatibus ita iactamur, vt ſæpe naufragium faciamus. & cum me ſolitudini ſiue natura, ſiue conſuetudo aſſuefecerit, frequentioribus locis libenter careo; meaq; in

veteri sententia maneo, tempus illud perire, quod in litteris non consumitur. Sic igitur viuo, non plane vt vellem; in reliqua enim vita vni mihi, & Deo omnino viuere meditor. tu, si vicissim de statu tuo aliquid scripseris, de quo quam sollicitus sim, ex meo in te amore conijcere potes, gratissimum mihi feceris. Vale. Genua ex Violarijs. VI. *Id. Mar.* CIↃ.IↃ.CI.

IO. THOMÆ IVSTINIANO, CAMILLI FILIO.

Ticinum.

MIROR *equidem, quod meis litteris.* XVI. *Kal. Decemb. datis nihil responderis: nec tamen tuus in me amor in dubium venit. nam vltro ipse cum ad me scripseris, tuæq; erga me voluntatis non obscura signa dederis, nunc eam tam cito immutatam esse mihi persuaderi non potest. Itaque culpam in studia confero, quibus arcta consuetudine adstrictus ab ijs diuelli haud facile potes. hanc igitur caussam, cur scribendi officium intermiseris, iustissimam esse video. tanta siquidem ex litteris percipitur uoluptas, vt aliarum omnium rerum nos capiat obliuio. quanquam si diligenter attendas, reperias profecto meum consilium non fuisse, vt in studiorum cursu consisteres, sed vt potius scribendo*

pro-

progredereris. quod si quis sine stylo, & exercitatione ad summam eloquentiæ laudem se peruenturũ putat, næ is frustra laborem suscipere, & tota errare via mihi videtur. Etsi non is ego sim, qui te velim totos dies in texendis epistolis consumere; quippe te satis mihi dedisse existimassem, si de statu tuo, & negotio meo paucis verbis ad me scripsisses. Idq; si non meus in te amor, at saltem tua singularis humanitas, quin a te facile impetratura esset, non dubitabam: &, quanquam non impetrauerit, nihil tamen de amore erga te meo imminutum esse velim existimes. eo siquidem amore te prosequor, quo antea semper prosecutus sum; & perpetuam quandam in amicitia nostra constantiam seruo; quæ ita virtute fundata est, vt in perpetuum duratura videatur. Interim æstatem appropinquare vides, qua amicos inuisas, eisq; te reddas. te igitur expecto. & in reditum tuum multa reseruo, quæ præsens sermo suauiora efficiet. tunc vel vna ambulatiuncula, si quid a nobis fortasse in amicitia peccatum est, alter alteri culpam largietur. Balthassar Ayrolus, quod Magni Etruriæ Ducis nomine sine auctoritate Senatus nostri milites conscripserit, exilio affectus est. nunc ipsius Ducis auspicium secutus non nullis pedestribus copijs præest. Leander Inurea in tuenda valetudine totus est. Exercitationibus vtitur, & Aristotelis de moribus, & Rep. libros assidue

due tractat, vt nemo grauior, nemo ciuilior ſit. Ego recte ſatis valeo. in Violarijs Genuæ ocellis Muſis tantum, & mihi viuo, &, vt omnino viuam, operam do. Muſæum noſtrum Illuſtrium virorum imaginibus exornaui, vt illud, cum redieris, multo pulchrius quam antea, ſis reperturus. tu, ſi quid habes, quod ad hanc rem pertineat, id vt mihi impertias, rogo. Vale. Genua. Ex Violarijs. Prid. id. Apr. CIↃ.IↃ.CI.

BARTHOLOMÆO PAGIO, HIERONYMI FILIO.

AMICITIIS *inſtituendis maximum ſtudium adhibeo, ſed ijs præſertim, quæ mihi ad diſciplinas, & animi ornamenta comparanda adiumento eſſe poſſunt; idq́ mihi ex ſententia mea in amicitia tua obtigiſſe magnopere lætor. ijs enim moribus, ijsq́ litteris ornatus es, vt neſciam, vtrum conſuetudo tua iucundior, an fructuoſior ſit. Itaque me tecum ſæpiſſime eſſe vellem, & voluntatem res ipſa conſequeretur, niſi mihi negotia negotium ita faceſſerent, vt nihil plane otij relinquant. nam, cum in ſtudijs humanitatis tantum profeceris, vt cogitationes tuas eleganter exprimere poſſis; ijs quoque quaſi ornamentum picturam addidiſti; & in ea iam tantum proceſſiſti, vt ab eo, quod in ipſa perfectum eſt, non longe abeſſe videaris. nimi-*

rum,

rum, cum poesim in delicijs habeas, eius te quoque muta imago, & æmulatrix pictura delectat; & non minus coloribus, quam verbis naturam rerum ante oculos ponis. hæc est illa nobilis ars, in qua Romæ antiquis temporibus principes viri se exercebant, quæq; a summis Regibus ita expetebatur, vt non minus se pictores esse, quã Reges natos gloriarentur. Ego equidem, qui antea imagines ipsas ita intuebar, vt illæ me tantummodo clarorum virorũ memoria delectarent, nunc eas ita contemplor, vt illæ me simul pictorum artificio valde retineant; & exemplo tuo, velut face subiecta, ad picturam perdiscendam exciter, atque inflammer. In litteris vero ita versaris, vt tuorum studiorum rationem exstare velis, &, quantum in te est, domesticam tuorum consuetudinem imitari. nam, dies fere nullus est, quin aliquid scribas, quod alijs prosit, veramq; tibi gloriam comparet. Itaque expolitionem exspectamus illius Comœdiæ, cui nomen Fidelitas est; quæ cum digna sit, quæ in manibus omnium versetur, intra domesticos parietes asseruari haud diutius debet. Præclaram tibi, mi Bartholomæe, ad clericalem vitam, quam sequi constituisti, virtutum supellectilem comparasti, quarum splendore hanc ipsam vitam illustriorem reddes, & clarissimum animi, & ingenij lumen ceteris huius ordinis hominibus præferes. ac maximam tu debes præpotenti Deo gratiam, qui

te

te ex periculosa, & lubrica voluptatis in tutam, & cautam ad immortalitatem ferentem virtutis viam induxit. quam quidem signatam, & impressam vestigijs vides Hieronymi Patris tui, & Ioannis Baptistæ Patrui, quorum alter ita ingenio, & industria præstat, vt nihil tam difficile in litteris sit, quin ille inuestigauerit, atque exornauerit; alter vero cum picturæ se totum dediderit, in ea ita excellit, vt neminem illi profecto anteponere, paucos vero comparare possimus. & hanc ipsam viam ingressus cursu æquales vicit omnes Alexander Frater tuus, qui medicinæ artis præstantiam eximia non modo humaniorum litterarum laude, verum etiam perfecta rerum antiquarum cognitione cumulauit. næ uos maximum hoc vestrum de litteris bene merendi studium pæne cum lacte nutricis suxisse mihi videmini. adeo ut e vobis alij succedat alius, & dum alij adolescant, nascantur alij, qui hunc animum tanquam hereditarium habeant. Itaque Ciuitas nostra ex nobili Familia vestra plurimum & utilitatis, & ornamenti sibi accedere, & in ea optimarum artium in pristinam dignitatem restituendarum, spem non exiguam sibi collocandam esse fatetur. Ego equidem domum uestram eleganti suppellectile instructam, Musis, Studiisq; dicatam magna cum uoluptate frequento. in ea tabulæ pulcherrime pictæ, magna librorum copia, & antiqua signa uisuntur; omnia ita

belle

belle constituta, ut uno prope in conspectu totam antiquitatem videre mihi videar. est igitur, quod iure optimo lætemur, ex animoq; gaudeamus, quando quidem maiorum virtutem in multis prorsus exstinctam, in vobis nunc maxime florentem videmus. quicunq; vero litteris dediti sunt, est quod maximas vobis gratias habeant, cum ipsas litteras, quæ se fidei, ac patrocinio vestro commendarunt, vos amandas, tuendasq; susceperitis. Ego certe pro mea erga litteras, & litteratos viros incredibili voluntate, vos singulari beneuolentia prosequor, & operam, studiumq; meum omnibus in rebus, quæ ad virtutem vestram ornandam, ac celebrandam pertineant, vobis polliceor, atq; defero. nam initio studiorum meorum id mihi semper propositum fuit, vt, quantum in me esset, eos laudibus prosequerer, qui inter ceteros virtutis splendore refulgent. quod si vobis perinde, vt meriti estis, id vnquam præstitero, maximum ex ipsis studijs fructum me percepisse, & amicitiæ satis, atque officio fecisse existimauero. Vale. Genua. ex Violarijs. Id. Maij. CIↃ. IↃ. CI.

CÆSARI MORANDO.

POEMATA *tua Etrusce conscripta libenter legi, quæ cum mihi antea valde probarentur, nunc in vnum*

veluti corpus redacta maiorem afferunt voluptatem: quippe qui poetarum versibus mirifice capior, & eos, qui poetæ nomine digni sunt, vehementer admiror, atque obseruo. qui quidem siue alios imitentur, siue ipsi ex ingenio aliquid aggrediantur; ita sua scripta vtilitate, & delectatione temperant, vt auribus simul, & animo satisfaciant, & diuini nescio quid habere videantur. Itaque cum tuos in poetica facultate processus vidissem, te sæpe, vt scriberes hortatus sum, & ea, quæ iam scripsisti, vt ederes, suasi. quorum alterum te raro admodum facere, alterum vero nullo modo facturum esse mihi affirmasti, cum poeticis studijs animi tantum caussa indulgeas, non vt ex ijs aliquam laudem aucuperis. Itaque in ea sententia diutius permansisses, nisi huiusmodi se tibi obtulisset occasio, cui si defuisses; & humanitatis officium deseruisse, & in amicos ingrate fecisse visus esses. victus es igitur, vt ea, quæ tu tibi multis laboribus collegeras, cum alijs tandem communicaueris, & eam gloriam, quam angustioribus terminis concluseras, latius peruagari passus sis. quod quidem consilium magnopere probo; ex quo tibi plurimum laudis, Ciuitati vero nostræ splendoris non minus, & ornamenti redundare video. quæ, si quemadmodum præclara ingenia profert, ita ea summo studio, & diligentia excolerentur, non dubitarem futurum, vt inter ceteras Italiæ Ciuitates ipsa

quoque

quoque ſicut bellica, naualiq́ virtute, ita etiam litterarum ſcientia, ac laude floreret. uerum uiderint ij, quorum hoc munus eſſe deberet. tu certe diligenti cultura effeciſti, vt ea, quæ tibi innata fuerunt poeticæ artis ſemina, ad vberrimos, lætiſſimosq́ fructus perducerentur. nam vſque a puero illius amore inflammatus fuiſti, nec poſtea ab eo vlla te vnquam res auertere potuit, vt, quem Muſæ naſcentem ſinu exceperint, in ſuauiſsimo earum amplexu eum toto vitæ tempore acquieſcere veriſsimum eſſe oſtenderis. Pulchra quidem res, ſed æque difficilis poeſis eſt; ut non plures illius pulchritudine capiantur, quam difficultate deterreantur. cuius quidem ratio non eadem, ac ceterarum artium mihi uidetur; ſiquidem in hac una mediocritatem homines non ferunt, quam in alijs tolerabilem eſſe contendunt. nam poetæ nomen nemo egregie ſuſtinebit, niſi qui omnibus rebus erit inſtructus. quominus mirum eſt perpaucos eſſe, qui uoti compotes facti ſint, quamuis diu in hoc negotio plures deſudarint. In eorum autem numero, qui poetica ſtudia feliciter tractant, ipſe merito habendus es, cum haud longo interuallo ab eo abſis, quod imitaris, quodq́ optimum omnes exiſtimant. tua enim ſcripta cum multis luminibus ingenij referta ſunt, tum in ijs ita elucet inuentio, ut ipſi poetarum Coryphæi eam ſuſpiciant, atque admirentur. quæ quidem res tibi haud interrumpere debet

institutum ad gloriam cursum, quasi confectum iam iter sit, sed eo te magis currentem incitare, ut optatam metam aliquando contingas. Itaque tibi haud satis esse debet, quod in Latina lingua multum processeris, sed tibi enitendum est, ut ad intimos illius recessus peruenias, & occultos, reconditosq; sensus intelligas. nam perfecta Latinæ linguæ cognitio ijs admodum utilis est, qui pangendis uersibus Etruscis egregiam sibi gloriam quærunt. siquidem antiqui illi Vates tot poeticis luminibus effulgent, ut, si qui ex nostris aliquo splendore præditi sunt, ab eis lucem eam, quam possident, mutuati esse uideantur. Poetas uero Etruscos tibi assidue legendos, & penitus imitatione exprimendos esse censeo; & eos præsertim, quorum ita uiget auctoritas ob singularem eorum doctrinam, & eloquentiam, ut ea demum, quæ illi scripserint, firma, & rata ab omnibus habeantur. nam, cum præclari operis fundamenta ieceris, ex quibus quod postea excitatum est, id eiusmodi fuit, ut multorum luminibus obstruxerit; nunc tibi laborandum est, ut quod in utraque lingua perfectum est, id assequaris, & suscepti operis summam absoluas. Itaque quamuis magnum ingenij tui specimen dederis, maiora tamen adhuc superesse uelim existimes. non enim iam cum alijs, sed ipse tecum certes, te ipsum uincas, necesse est. difficilis quidem, & ardua res: sed si immortalitatem quasi uictoriæ

præmium,

præmium, tibi propositam esse consideraueris, non dubito, quin ea tibi facillima futura sint, quæ aliis laboriosa esse solent. nam multa in te sunt, quæ si singula ceteros ornant, admirationem nobis maximam commouent; sed in iis ingenium ita excellens, ut in quauis lingua te exerceas, ea perite, ac scienter utaris. nam & Hispanico carmine multa lusisti, & patria lingua tam festiua poemata composuisti, ut nihil lepidius, nihil uenustius esse possit. Id quod multi ex nostris pari uoluntate adducti facere conati sunt, quos tamen dispari exitu in ipso pæne conatu uires defecerunt. tibi nulla res obstitit, quominus perfeceris, quod uolueris, & quæ aliis rudis, & incompta lingua uidetur, eam æque ac alias uberem, & elegantem esse ostenderis. Vides, mi Cæsar, quot bona in te natura contulerit. ea igitur nosce, ut in dies magis tuum erga poeticen studium, & propensionem declares, quod & assidue scribendo, & tua scripta in apertum proferendo efficies. Ego equidem tuæ gloriæ magnopere faueo. itaque scriptis iam editis alia uelim addas, & maius tandē corpus efficias. hoc ipsa a te uirtus postulat, quæ celata, ut ait ille, PAVLLVM sepultæ distat inertiæ, et ideo longe distribui, et communicari gaudet. hoc ipsa denique Patria petit, quæ Ciues optime de se meritos tuis scriptis illustrari, & celebrari magnopere cupit. huius quidem uoces auersari non debes,

bes, sed eo alacrius illi obtemperare, quod præstantium virorum famam ab iniuria mortalitatis haud vindicaueris, quin immortalem ipse quoque gloriam consequaris. Vale. Genua. ex Violarijs Kal. *Sept.* CIↃ.IↃ.CI.

CHRISTOPHORVS VARSEVICIVS C.C. IOANNI NICOLAO SAVLIO, CARREGAE. S.

QVOD *me domum vocaueris tuam, humanitatis est; quod scriptis monstrandis, & ingenij præclaris monumentis, prudentiæ. vtroque nomine gratias ago, & habeo tibi singulares. Equidem virtutis, quam ætatis tuæ, cursum video esse celeriorem. qui vix dum trigesimum egressus annum tali, tantaq; ingenij cultura præstas, vt haud dubie decori, & ornamento patriæ esse videare. Macte virtute, quod facis, in hoc laudis, & gloriæ cursu perstare ne grauere. Magna ingenij, virtutis, bonitatis, & omnium, quæ in nobilem virum cadere possunt, ornamentorum manet te commendatio. Ego, vt longissimis locorum, & temporum interuallis disiunctus abs te fuero, perpetuo in oculis te feram, virtutemq;, & humanitatem tuam, quam mihi non obscure testatus es, voce, &*

lit-

litteris meis ubique celebrabo. Vale. Genuæ. IV. Non. Octob. CIↃ.IↃ.CI.

CHRISTOPHORO VARSEVICIO C. C. IOANNES NICOLAVS SAVLIVS CARREGA. S.

LÆTISSIMVS *ille mihi dies illuxit, quo te de facie noui. mei enim in te amoris, & in vniuersum Polonorum nomen testificandi facultas data est. qui quidem amor a lectione tuorum scriptorum initium sumpsit, quæ ita mihi probantur, vt cum ipsa antiquitate contendere existimem. Sed ad singularem doctrinam, & eloquentiam, humanitatem quoque singularem adiunxisti; cum & domum meam venire, & varios mecum sermones conferre volueris. intentis oculis intuebar hominem inter suos summo loco natum, nobilissimis legationibus honestatum, & cunctis animi, naturæq; bonis ornatum. ac ita mihi feriebat oculos tantus iste splendor, vt, cum ex tempore elegantissimam epistolam confeceris, uix ego ad eam, eadem hora, eodemq; stylo respondere potuerim. næ uos ingenij, atque eloquentiæ gloria effecistis, ut Polonia ad Italicum splendorem proxime accedat; vt nobilissima Natio vestra cum armis, & litteris floreat,*

om-

omnium sibi exterarum Gentium mire deuinciat animos. Ego equidem tuarum virtutum imaginem semper in ore, animoq; habebo, & eæ mihi ad ipsam uirtutem capessendam maximo erunt incitamento. Interim, quando magni amoris indicium fuit, vt me in tuorum numerum adscriberes, hanc mentem vt retineas, quod tuæ constantiæ erit, te etiam atque etiam rogo. me uero, & ædes meas, etsi quid possim, pro tuis habeas, ijsq; utaris uelim, ut, quæ maxima tibi debeo beneficia, ea aliqua saltem ex parte soluere possim. Vale. Genua. Ex Violarijs. IV. Non. Octob. CIϽ.IϽ.CI.

IO. IACOBO BLANCARDO, LAVRENTIO.

NAE *tu me tibi ualde deuinxisti epistola tua humaniter scripta, in qua non modo me laudas, sed etiam scripta mea magnopere expetis; ut nihil potius habeam, quam ut, quibuscunque officijs possim, hanc tuam erga me uoluntatem amplectar, & meam erga te beneuolentiam aliqua significatione testatam posteris relinquam. quamquam dubius sum, utrum accipiam, an potius reijciam, quas in me plena manu laudes contulisti; quod alterum esset gloriam nimium quærentis, alterum vero tuum iudicium improbantis. sed certe*

in ijs

in ijs laudibus cohortatio continetur, & ea iam excitor, & maiore animi alacritate in litterarum studia incumbo. quæ quidem laudes tibi merito debentur, qui maxime curas, vt ijs rebus nulli sis inferior, quarum potestas omnis in nobis sita est; cum ijs, quæ in nostra manu haud positæ sunt, multis superior sis, ne plus in te natura, quam virtus ipsa contulisse videatur. nam in floridißimis philosophiæ pratis sic animum pascis, vt etiam in amœnissimos Musarum hortos te sæpe recipias. Ex quo factum est, vt in ista tenera ætate fructus iam afferas, cum satis esset, si flores tantummodo apparerent; vt, cum ætatis maturitas aderit, quanto ipsi fructus vberiores, & præstantiores futuri sint, conijcere possimus. Nec vero vlla caussa est, quamobrem te tanta scriptorum meorum auiditas teneat, cum ex optimis scriptoribus præclarißima quæque ita hauseris, vt de tuo fonte aliorum facile ingenia irrigari possint. Ego equidem Romanæ eloquentiæ studio incensus sum, & alios quoque, in eorum animis quibusdam quasi igniculis excitatis, ad eandem laudem accendere conor. cuius excellentem formam, quasi quandam ideam, si quemadmodum mente, & animo comprehensam habeo, ita alijs scribendo repræsentare possem, illud profecto me consecutum esse existimarem, quod cunctis rebus humanis maxime excellit. Sed ab incæpto non desi-

BB stam,

stam, & si minus in me res ipsa, at voluntas tamen certe laudabitur. quod autem ad Dominicum nostrum attinet, ego idem, quod tu, de scriptis illius existimo; ea scilicet horridiora, & incomptiora esse, quam vt ab ijs, qui paullo elegantiorem doctrinam colunt, iterum legi possint. adeo ille obscuritati, asperitatiq; orationis studuisse videtur. itaque, vt concedatur eum poetica laude excellere, oratoria certe, multis inferiorem esse negari non potest. Sed hoc tolerabile esset, cum hominum nostrorum scripta si perlustremus, ex multis vix vnum, aut alterum reperiamus, qui vtrunque consecutus sit, atque perfecerit. at illud non ferendum, quod sua ipse suspiciens aliena despicit, quod sese extollens ceteros deprimit. sed certa iudicij ratio posteritati reseruatur, quæ in rebus æstimandis non amore, aut odio, sed ratione ducetur; & a qua pro suis quisque meritis vel laudabitur, vel reprehendetur. Itaque tibi vehementer gratulandum est, qui cum ceteris minime errans recte scribendi viam ingressus es, eos duces secutus, quos omnis antiquitas admirata est, quibus nulla posteritas similes habuit, aut habitura videtur. vt in hanc spem adducar fore, si hunc tenueris cursum, vt per eorum uestigia ad summam eloquentiæ laudẽ peruenias, vel certe proxime accedas. Gratulor igitur mihi de amicitia nostra, cui nullum finem, nisi eundem, quem vitæ nostræ, futurum esse confido.

libet

libet hoc mihi de ea augurari, cum ita virtute nitatur, vt nullis vnquam temporum iniurijs, aut locorum interuallis euersum iri existimem. nam mihi quamuis absens in memoria semper hærebis, & ero tecum animo, quamuis corpore disiunctus, illud profecto effecturus, vt, quod amantissimis me litteris appellaueris, & tam propensam in me voluntatem declaraueris, nunquam te pœniteat. Vale. Genua ex Violarijs prid. Nonas Nou. CIↃ.IↃ.CI.

IO. AVGVSTINO CAPONIO, IO. DOMINICI FILIO.

SOLVO quod debeo, & ad litteras rescribo tuas singularis erga me beneuolentiæ notis insignes: serius omnino, quam ipse volueras; sed hanc moram occupationes excusant: excusatq; etiam illud, quod ipsarum litterarum argumentum huiusmodi erat, vt rescribendi officium haud necessarium esse ducerem. quippe multas in me laudes contulisti, quarum commemoratio eo mihi molestior fuit, quominus eas mihi deberi intelligo. Itaque omnem hanc partem in tuis litteris aut prætermissam esse velim, aut ea te tantummodo selegisse, quæ vera omnino esse compereris. ibi te nemo extra veritatis fines egressum dixerit, vbi me litterarum studio magis, quam diuitiarum inflammatum esse

ſcripſeris, & in eam vitæ viam ingreſſum, in qua nulla vulgi ueſtigia cernuntur; cum cetera amore magis, quo me proſequeris, quam quod ea in me eſſe cognoſceres, facile te quiuis ſcripſiſſe exiſtimauerit. Amor ſæpe fallitur, iudicioq; ueluti tenebras offundit, quominus id, quod uerum eſt, perſpiciamus. hunc tamen facere non poſſum quin exoſculer, pariq; amore complectar, cum ea tibi ſuggeſſerit, quæ in me tam abundanter effudiſti; earumq; laudum, quibus me ornaſti, principium fuerit, atque fons. neque, ſi uerum fateamur, parum nobis proficimus, cum eiuſmodi litteras legimus, cum in ijs tanquam in ſpeculo noſmetipſos perfecte cernamus, & quæ vere nobis tribuuntur, aut aliqua acceßione cumulemus, aut ad illud exemplar, quod nobis proponitur, omnes noſtras actiones effingamus. Itaque tuis excitatus litteris multo alacrius poſthac litterarum ſtudia colam, & ad illa præclara, quæ me iam conſecutum eſſe dicis, ſi minus peruenero, at ſaltem ab eis propius, quoad eius fieri poterit, vt abſim, acriore ſtudio contendam. in tuis præterea litteris, vt recipiam te in amicitiam rogas, cum ego tuæ cupidus meam tibi vltro detulerim. non eſt igitur, cur illud a me precibus petas, quod in tua poteſtate poſitum ſit, & arbitratu tuo vti, vel abuti etiam poßis. quod autem ex conſuetudine mea, quæ tua eſt ſciendi auiditas, fore confidis, ut ad ſitim tuam explendam aliquid haurias; in hoc

etiam

etiam amor errare te cogit, cum ex hac mea ingenij, naturæq; sterilitate nihil boni in te ipsum refundi poßit. quod tamen tua nihil intereſſe puto, cũ ex Ioanne Dominico Patre tuo, omnibus tum oratoriæ, tum poeticæ facultatis copijs instructo, tanquam ex perenni fonte multo plura, multoq; vberiora petere queas. qui quidem Romanæ eloquentiæ studijs instaurandis, reparandisq; natus, illius dignitatem, & decus in Ciuitate nostra, aut solus, aut cum paucis, his temporibus tuetur, & sustinet. Itaque abunde quod imiteris domi est, nec aliunde melius, quam ex domestica disciplina Latine scribendi viam percipere potes. Sed calcaribus non indiges, cum vix septem, & decem natus annos eloquentiæ iter ingreſſus sis, & quantum ingenio, atque industria perfici potest, tantum quotidie progrediaris, ut æquales omnes tuos facile anteuertas. Iam in te paternæ facundiæ imaginem cernimus, iam Familia vestra, potentia, & opibus Florentiæ clara, Genuæ litteris clarior est. quæ cum laudabilia sint, tum nihil hoc laudabilius, quod ita in Deum pietate flagras, vt te sacris addicere, & illud vitæ laudabile institutum omnino suscipere velis. Itaque quas alijs facile tribuis, omnes in te ipsum laudes iam conferunt, & se in amicitiam tuam cum propter humanitatem iucundam, tum propter doctrinam fructuosam, libenter insinuant. quorum alterum ego tantum aſſequar quantum potero,

alterum vero cum assecutus sim, quantum in me erit efficiam, vt amicitia nostra ceteris hominibus notior, atque illustrior sit. Vale. Genua. Ex Violarijs. XIIII. Kal. Iunij. CIↃ.IↃ.CII.

ADMODVM REVER. PATRIBVS, CANONICIS REGVLARIBVS, SANCTI SALVATORIS.

QVIA negotijs ita distineor, vt rarius omnino, quam vellem, istuc me recipere possim, hanc ad vos epistolam scribere volui mei singularis erga vos amoris indicem, testemq́; futuram. Non autem eo solum nomine vos amo, quod singulari humanitate, & doctrina præditi estis, sed multo magis, quod uos in clientelam Potentißimæ, Sanctissimæq́; Virgini Dei Matri tradidistis, illiusq́; cultum cum in vobis, tum in alijs promouere conanimi. Nam quamuis omnes Religiosos viros in honore habeam, in eos tamen, qui Beatæ Virginis cultui se manciparunt, animo multo propensior sum. Quæ licet nobis, quocunque loco simus, præsto semper sit; in templis tamen ei in honorem Dei consecratis eam impensius imploramus, eamdemq́; nobis præsentiori numine adesse cognoscimus. Itaque magno in dolore versor, quod hanc negotiosam vrbem relinquere, & istuc in sinum quasi quietis, atque otij sæpe con-

confugere haud poßim, vt & vos præsens omnibus officijs prosequar, & aßidue in Deiparæ Virginis laudes incumbam: cum ipsa me præterea loci pulchritudo, atque amœnitas maxime capiat, qui quattuor millia passuum distat ab vrbe, & in accliui colle sese attollens propinquum mare, & duo præclara suburbia spectat. In ipso collis vertice Templum visitur Beatæ MARIAE *Virgini Coronatæ dicatum, cui vos præestis, & in quo diuina officia ita pie, ac sancte celebratis, vt ij, qui intersunt, animo plane immutati, longe alij, quam accesserint, pijs officijs peractis, recedant. mihi quidem illud ingredienti quot, quantaq; occurrunt? quam multa admirabilia consideranda sese offerunt? considero enim quomodo Mariam Virginem Deus ab æterno elegerit, vt Filij sui mater esset, & quomodo omnes excellentias in eam contulerit, vt opus vnum efficeret, & omnes admirarentur. Ipsam nascentē contemplor, cælum, terramq; lætitia perfundentem; quæ licet a Clarißimis Regibus originem ducat, ijs tamen sanctitatis splendore magis prælucet. quam quidem sanctitatem ex Matris utero secum afferens, iam ex ore, & oculis spirat, certißima indicia præbens, ea se bona mortalibus allaturam, quæ ipso Mariæ nomine, in quo admira da mysteria latent, abunde promittit. eam prouectiore ætate video, vultu quidem omnium pulcherrimo, sed ita virginali splendore decoro, vt ex aspicien-*

tium

tium animis, omnes impuritatis tenebras expellat: ita omnium virtutum comitatu instructam, vt pulcherrimum, & absolutissimum exemplar ad imitandum omnibus præbeat. eam denique post tres, & sexaginta annos sanctissime peractos ad dulcissimos Filij amplexus euolandi cupidam, corpore, & anima in cælum receptam, & supra omnes Angelorum choros in celsiori solio collocatam aspicio, ipsis Angelis Reginam, hominibus vero apud Deum aduocatam, & interpretem futuram. Hæc, & alia multa meditor, dum hoc in Templo, matutinis sacrificijs vestris spectator intersum, quæ meam in Mariam Virginem religionem, & pietatem mirum in modum augent. At quantopere nobis lætandum est, cum eandem Virginem habeamus, quæ pro nobis Deum precetur, eumq; nobis conciliet, cum ad eam in omnibus periculis confugere possimus, quo nullum aduersus ea præsidium melius potest, efficaciusue comparari? quoties Deus intentum in homines iustitiæ suæ gladium, eadem scilicet Virgine deprecante, e manibus deposuit, iustamq; iram suam ab illis auertit? nostra quidem Ciuitas huic Virgini acceptum refert, quod diuersis temporibus pestilentia, & fame oppressa, diuino plane miraculo liberata sit, & ad renouandam tantorum erga se beneficiorum memoriam solennes singulis annis supplicationes celebrat. Nullus nimirum sua se spe frustratum vidit, qui huius Vir-

ginis

ginis opem, & auxilium implorauit. id verum esse, muti parietes loquuntur. tot in templo votiuæ tabellæ vndequaque aceruatim suspensæ maxime testantur. hic ex diuturna febri conualuit, ille seueri Iudicis manus euasit, alius ex tempestatibus in portum peruenit, alius aliis periculis defunctus est. Itaque ego, qui grauioribus morbis laboro, qui peccatorum vinculis teneor, & in hoc vitæ pelago misere iactor, hanc Virginem precor, vt animi vulnera sanet, vt me in libertatem restituat, vt in salutis locum reducat. Et has preces dum itero, me magnopere excitat aliorum precantium aspectus, meq; bona spe implet fore, vt illæ apud hanc Virginem plurimum valeant. Nam frequentissimi ad hoc Templum mortales vndique confluunt, alij voti compotes votum soluturi, alij a Sanctissima Dei Matre, quod in votis habent, petituri: quanquam Idibus Augusti, & VI. Id. Sept. in quos ipsos dies illius in cælum Assumptio, & Natiuitas incidit, maiores solito concursus fiant. Omnes nimirum ad hanc Beatissimam Virginem veluti fontem omnium bonorum læti confugiunt; nec vllus fere est, qui non aliquid in se, quod sibi vtile sit, redundare sentiat, qui non ex impuro purus, ex immundo mundus efficiatur. Homines enim, cum loci religione, tum exemplo vestro ducti, mente in melius conuersa, vitia detestantur, virtutes amplectuntur, & domum me-

lioris vitæ propositum referunt. hi sunt nimirum animi fructus, quos locus iste a vobis cultus producit, quorum excellentia, & pulchritudine, quia diutius frui haud possum, vitam mihi acerbam esse duco. Nam, cum biduum, aut triduum præteriit, in Ciuitatem trahor, in qua tanquam in malo, ac sterili campo, omnia spinis obsita video, quæ vel ipsa virtutis semina facile enecant. Itaque me sæpe ad hunc locum cogitatio ducit, & quantum per occupationes licet, uos animo contemplor a curis omnibus liberos, precationi, orationiq; vacantes, quibus tanquam alis sublati, superas partes petitis, ad cælumq; euolatis; cum ipse graui peccatorum mole oppressus adhuc humi iaceam, nec vos ante me longe volantes sequi possim. erit igitur caritatis vestræ me iacentem erigere, vt terrena despiciam, amem cælestia, & æternæ felicitatis iter vobis commonstrantibus ingrediar. quod vos quidem facitis, ac deinceps facturi estis, cum vobis nihil antiquius sit, quam vt errantes oues ad salutaria pascua reducatis, eisq; viam muniatis, vt ad illa cælestis beatitudinis pabula tuto peruenire possint. Itaque, cum vos munus vestrum sine vllo monitore perfecte obeatis, & ad virtutem, & Beatæ Mariæ Virginis cultum omnes excitetis, hæc epistola, quæ vos alioquin admoneret, vt eorum me quoque loco haberetis, mecumq; aliquam cælestium bonorum partem communicaretis.

quando

quando id necesse non est, erit cum mei in vos amoris, vt initio dixi, tum meæ in eandem Virginem præcipuæ propensionis, & pietatis perpetuum monumentum. Valete. Genua, ex Violarijs. XVI. *Kal. Dec.* CIƆ. IƆ. CII.

ADMODVM REVER. PATRI APOLLONIO PAINO, SERVITAE,

Bononiam.

EGO *equidem plurimum me debere fateor admodum Reuerendo Patri Ioanni Baptistæ Persighellio, cuius opera factum est, vt ad te, dum hic eras, salutatum accesserim, & tecum amicitiam instituerim. Vnam, & alteram horam dulci sermone traduximus; nec ante a te discessi, quam singularis tua me virtus in ardentem tui amorem rapuerit. Magna profecto vis a natura insita in animis nostris abdita latet, quæ eos ad sese mutuo amplectendum incitat, virtute præsertim, & morum similitudine inter ipsos amorem conciliantibus. cum autem magno me desiderio flagrare cum veterum, tum recentium monumentorum cognouisses, non modo multos tu mihi libros narrasti, quibus hoc desiderium explerem, sed amicis etiam tuis plurima ex marmoreis lapidibus describendi negotium te*

daturũ pollicitus es. quod promiseras egregie præstitisti. paucos post dies ex multis Italiæ partibus epistolæ mihi redduntur, quibus variæ inscriptiones continebantur, quæ tam mihi caræ sunt, quam nec auaris thesauri, quam nec honores ambitiosis. qua quidem in re, Valerius Rinerius vir, eleganti tum doctrina, tum singulari probitate præditus, ita mihi satisfecit, vt, quam alij sitim promissis incenderant, re vnus ipse sedasse videatur. cuius beneuolentiam cum mihi conciliaueris, eam vt mihi tuearis, atque conserues, te etiam, atque etiam rogo. Nam ad cetera officia, quæ in me contulisti, illud etiam accessit, quod operam dedisti, vt Clarorum Virorum amicitias consequerer, ad quos quidem ea de me scripsisti, quæ vtinã ita alicui meo merito, vt tuo in me amori, accepta referre possem. In his vero Leonardus Sanudus, summa non minus virtute, quã nobilitate vir, ita me sibi deuinxit, vt si quid habeo, si quid ipse sum, id totum, quantumcunq; est, in eius potestate positum sit. Itaque cum ipse, qua pietate præditus est, omnibus, qui laude poetica florent, Iesu Christi Saluatoris nostri, vitam, & mortem epigrammatis Etruscis celebrandam proposuerit, ego illi hac in re, quantum quidem in me est, adiutor sum, magniq; beneficij loco numero, quod opera mea vti velit, quod illi gratificari possim. Sed tuus in me amor nullis terminis circumscriptus vlterius semper progreditur. nam cum Bono-

niam patriam tuam Italiæ lumen, Academiarum florem reuersus esses, quid non tentasti, quid non molitus es, vt quæcunque postulaueram, a te obtinerem? omitto inscriptiones, in quibus mittendis nihil de diligentiæ remisisti; cum tibi per litteras significassem me Clarorum Virorum imaginibus mirifice delectari, hanc tu quoque curam eas perquirendi libenter suscepisti, & Tiburtij Passeroti Pictoris eximij opera vsus multas ex ijs, quas optabam, quasq; in Bononiensibus Musæis reperire potuisti, ad me quam primum perferendas curasti. quas quidem quotiescunque contemplor, æque ac si in via virtutis præeuntes, meq; excitantes, quos referunt, videam, ita quantum in me est, eorum vestigia sequi, atque eundem vitæ cursum tenere conor, quo illi ad immortalitatem peruenerunt. tu vero, cum huius mihi vtilitatis auctor exstiteris, in hoc etiam clarum humanitatis tuæ specimen dedisti, qua Bononienses, inter omnes præstare audieram antea sæpe, atq; etiam legeram, sed nunc id mihi re, ac factis ipse multo clarius testatus es. cum summa autem humanitate summam doctrinam coniunctam sic habes, vt omnes te non modo ament, sed etiam admirentur, teq; ista Societate dignissimum iudicent, quæ siue splendorem, siue antiquitatem spectemus, inter primas numeranda videtur. ac plane diuinitus factum esse existimo, vt in hanc ipsam Societatem nomen dederis, cũ maximo illi sis præ-

sidio,

ſidio, & ornamento, modo Concionatoris munere homines ad pietatem excitando, modo Prouincialis miniſtri varia loca obeundo. nunquam ex animo meo diſcedet illius temporis memoria, quo hic te concionantem audiebamus. quam docte, Deus immortalis, res diuinas explanabas, quanta rerum pulcherrimarum varietate nos audientes retinebas, quibus argumentis, qua exemplorum copia ad ſtudium ſummi boni nos excitabas? ſuauiſſimis tuis concionibus nos demulceri, quaſiq; deuinciri ſentiebamus, nihilq; nobis moleſtius accidere poterat, quam quod ille vnius horæ terminus tibi finiendi neceſſitatem imponeret. præclara res, quod in dicendo excellas; at longe præclarior, quod omnia ad Deum referas, nec ex ineptis populi plauſibus gloriolam aucuperis; cum ſatis magnam te credas aſſecutum gloriam, ſi a recto virtutis tramite aberrantes in viam redeant, & ſi qui in tenebris peccatorum vitam degunt, ijs expulſis, cœleſtem tandem lucem aſpiciant. Dei enim gloria, & hominum vtilitas omnino tibi propoſita eſt. quibus, non modo dum viuis, uoce prodeſſe ſtudes, ſed ijs etiam poſt mortem ſcriptis profuturus es. hi fructus labores tuos minuunt; quos debitis olim præmijs a Deo Opt. Max. compenſatum iri confido. At neſcio quo pacto a commemorandis tuis in me officijs de tuis laudibus dicere ingreſſus ſim, cum tu, quamuis omni laude digniſſimus, tuas tamen laudes libenter non

audias.

audias. tua quidem officia tanti ego æstimo, ut omnem mihi spem vllius tibi gratiæ referendæ præcisam existimem. nam quantum tibi ad facultatem de me optime merendi addi video, tantum mihi de meis viribus ad meam erga te uoluntatem aliquo facto declarandam detrahi sentio. Sed hoc vno me maxime consolor, quod ita vitæ tuæ rationem a natura comparatam esse cognouerim, vt satis magnam tibi gratiam relatam arbitreris, si, quod amicorum causa feceris, id eos memoria tueri, & te ab ijs diligi uideas. quæ quidem ego cum adhuc diligentrr præstiterim, posthac etiam diligentius præstabo, ita ut tuorum in me meritorum, quoad vixero, memor futurus sim; & quanquam ceteris rebus a te superer, amore tamen, nunquam me superatum iri confidam. Vale. Genua. Ex Violarijs. VI. Id. Ian. CIƆ. IƆ. CIII.

PETRO HIERONYMO GENTILI RICCIO.

NON *aliunde certe, quam ex singulari tuo in me amore, consolatio illa profecta est, quam mihi in Mariæ matris morte attulisti. quos enim uehementer amamus, omnium malorum expertes esse cupimus; quibus illi si opprimuntur, ad eos subleuandos statim accurrimus, ea ipsa mala propria existimantes. quod in hoc*

meo

meo casu ipse diligenter præstitisti, cum multa ex Græcis, Latinisq; monumentis, in unum quasi locum collegeris, & ijs dolorem meum minuere conatus sis. ea vero nunquam mihi ex animo excident, sed tanto firmius hærebunt, quanto tu magis in me amando ceteros antecedis. at magnopere gaudere debes, quod ex studijs tuis uberrimos fructus percipias, cum hominibus in maximis calamitatibus opem feras, quo nihil homine dignius, nihil Deo gratius fieri potest. nam, si tempus ullum fuit, consolatione cum indigerem, nunc profecto est, cũ Matre priuatus sim, & ea Matre, quam unice amabam, & a qua plus quam materne redamabar: cum ita omnibus solatijs destitutus iaceam, ut meæ me uitæ pigeat, meq; illi, si fas sit, mortis comitem præbere cupiam. Domus quidem nostra ex eo tempore, quo Nicolaus auus e uita decessit, multas ærumnas perpessa est; sed hæc una, quam nunc maximam fero, ita me animi excruciat, ut ceterarum omnium sensum obruere uideatur. In rei cuiusque amissione maximo afficimur dolore, si eam diutius in potestate habuerimus; si aliquo excellenti bono prædita, atque amore nostro dignissima fuerit. quod in obitu Matris multo certius, quam antea experior, cum qua multos per annos suauiter uixi, quæq; animi dotibus ita erat instructa, ut ad sese amandam omnes impelleret. nam, ad eam animi propensionem femineo sexui ad diuinum cultum inge-

nitam

nitam tantum adiecerat ipsa, quantum pia, atque honesta educatione adiuuante, adijci potuit. Ideoq; maxima in Deum, & Beatam Virginem pietate flagrabat; deq; rebus diuinis loquebatur ipsa libenter, & loquentibus non sine lachrymis aures præbebat. Sacro Sanctæ Missæ sacrificio, sacrisq; concionibus ingenti alacritate, ac studio aderat, confessionis, communionisq; sacramenta frequenter obibat, nec vlla res illi impedimento erat, quominus hanc præclaram consuetudinem seruaret. cum autem hoc fere toto proximo triennio ita aduersa valetudine laborauerit, vt pedibus haud incedere posset, vehiculo ad templum se deferri iubebat, cum ei vires inualetudo, nō Religionis studium adimeret. ac ipsa quidem Religione omnes reliquæ virtutes continentur. nam quæ tanto in Deum amore erat incensa, suos, & proximos non poterat non ardenti charitate complecti. quæ doloris signa non dedit in obitu Iulij Patris viri sui, & Ioannis Francisci fratris mei admodum paruuli? cum ab ipsa se vita diuelli sentiens, quod ab illis diuelleretur, nullum lachrymis finem imponeret, nec ullo modo ijs superstes esse vellet? in ijs uero excipiendis, qui aliqua calamitate premerentur, ijsq; aut consilio, aut etiam re ipsa adiuuandis, quanta illius benignitas, quanta humanitas? omnino fuit in omnes, & in liberos præcipue amore singulari, quos præsentes intueri semper voluisset ægre ferens eos

DD vel

vel ad breue etiam tempus a se recedere. Itaque cum Cæsar meus item frater Neapolim profectus esset, tanto illius videndi desiderio tenebatur, ut non ante destiterit, quam perfecerit, vt ille in patriam sese reciperet. qui cum exspectatus, desideratusq; venisset, dici non potest, quantā ei voluptatem aduentu suo, præsentiaq; attulerit. nec mirum. si quidem ea, quæ nobis carissima sunt, non procul ab oculis nostris abesse, eaq; maxime tuta esse cupimus. ea igitur de salute nostra vehementer laborabat. animi salutem, non corporis tantum intelligo. eratq; de illa tanto magis sollicita, quanto magis solida caducis, æterna temporarijs anteponēda sunt. Itaque in primis operam dabat, vt in officio nos contineret, & non tam verbis, quam factis ad pietatem nos excitaret; nullum bonæ, prudentisq; matris familias officium prætermittens, quod ad rem familiarem tuendam, domumq; recte gubernandam pertineret. factum est igitur, cum illius animus æque curis, vt labore corpus exerceretur; cum toto fere vitæ tempore non admodum firma valetudine, his vero tribus proximis annis multo infirmiori vteretur, vt XIII. Kal. Dec. decimo autem tertio, post quam decubuerat, die, quattuor, & quinquaginta ferme annos nata, sacris armis munita, pie tranquilleq; decesserit. Dies infaustus, atque infelix, dies, qui omnem mihi voluptatem exstinxit. Sol mihi ab oculis auferri visus est, densis omnia

tenebris

tenebris, omnia molestijs circumuolui. quod mihi deinceps gaudium erit tali Matre orbato? quid ego amplius in vita maneo? cuius caussa labores nunc perfero? me mirifice recreabat illius suauißimus, iucundissimusq; aspectus. erat illud mihi maxima laborum alleuatio, quod ex ijs, quantum poteram, aliquam ei quietem comparare studebam. ac equidem fore sperabam, vt pro tantis in me collatis beneficijs aliquam ei referendi gratiam facultas mihi daretur, cum ea, quae adhuc feceram, ita leuia fuerint, vt ne nominanda quidem existimauerim. Sed spes meas inanes fuisse, & omnia contra, ac putabam, cecidisse video. Laudabilis vita laudabili exitu claudi, ac terminari solet. Illam sese quieti tradidisse existimasses. non illi mors, sed dulcis somnus oculos clausisse, sensusq; omnes abstulisse videbatur. contemplabar os illud, atque vultum, vel mortuum quamdam humanitatem, comitatemq; spirantem, eoq; ardentius, quo magis eo me breui cariturum videbam. cuius quidem species adhuc animo haeret, haerebitq; tandiu, quoad in vita permanebo. nunc pictam illius imaginem aspicio lubens, hanc saepe alloquor, & loquentem audire mihi videor. Nocte, quae illius obitum insecuta est, in somnis eam vidi, candida veste indutam, hilari, maternoq; vultu haec mihi dicentem: desine flere fili, & bono animo esto: in perfectam illam felicitatem, & bonis omnibus cumulatam breui

recipiar. hæc locuta, meq; amplexa incredibili celeritate ex oculis abijt. Id iam euenisse, aut breui euenturum esse confido, cum ea mecum reputo, quæ Mater mea in hac vita perpessa est. Deus enim ijs, quos diligit, alterius vitæ pœnas ad tempus duraturas cum huius vitæ calamitatibus sæpe commutat; vt hi, cum e vita migrauerint, omni labe purgati, in cælum soluti, ac liberi euolare possint. quod fusius explicatum est in eo libro, in quo Ioannes Andreas Rouetus noster, adolescens tum oratoria, tum poetica facultate instructus, multa de Beatorum sede, deq; sempiternis illis præmijs diligenter exponit. quæ res mihi consolationis loco esse, ac tanto vulneri mederi debet; sed a dolore consolatio vincitur, & a malo medicina superatur. qui quidem dolor ab ipso tempore vires ducit, & veluti sumpto spatio me grauiori impetu ferit. multa mihi succurrunt, quæ docti viri in huiuscemodi casibus nos consolandi gratia litteris mandarunt, & præceperunt; omnibus scilicet moriendi necessitatem impendere; illud æquo animo ferendum esse, quod immutabili lege sancitum est; eos satis diu vixisse, qui pie, sancteq; vixerunt; nec eos mortuos esse, cum ad immortalitatem demigrauerint, & in hominũ memoria victuri perpetuo sint; ipsos in tuto iam esse, nec mali quidquam amplius pati; ex hoc exilio, ex his tenebris eductos, in cælesti patria, in illa æterna luce collocatos; ibi digna laboribus suis

præmia

præmia ferre; ibi Deum præsentem intueri, & perfecta felicitate frui; itaque eorum mortem laudibus, non lachrymis prosequendam esse; eorum vitam imitandam, memoriamq; colendam. Sed hæc omnia, quæ tu etiam, maiore tamen orationis vbertate, commemorasti, cum antea maximam mihi vim habere viderentur, ad minuendum recentem dolorem meum nunc parum proficiunt. Itaque Deum oro, atque obsecro, vt pares mihi vires præbeat, quibus tanto dolori resistam, & omnium meorum delictorum oblitus mihi concedat, vt post obitum Matrem meam videre, & cum ea, sempiterna, ac beata vita perfrui possim. tibi vero, qui me non secus amare videris, quam temetipsum, qui meis incommodis, perinde ac tuis proprijs commoueris; quando ego pro tam propensa in me voluntate, dignas nec habere, nec referre gratias possum, eundem Deum precor, vt in hac vita omnia læta, & secunda largiatur, in altera uero cælestibus te præmijs remuneretur.

Vale.

Genuæ, ex Violarijs. Kal. Aprilis.

CIↃ. IↃ. CIII.

INDEX.

Ioanni

DIE XX. MAII. MDCIII.

F. Baptiſta de Finario Inquiſitor Genuæ vidit hos tres Libros Epiſtolarum D. Io. Nicolai Saulij Carregæ. fol. 216. & nil inuenit quod ſit Catholicę Fidei,& Bonis moribus contrarium, & in fidem manum propriam appoſuit.

F. Baptiſta Inquiſitor qui ſupra manu propria.

Camillus Hectorius Vicarius Archiepiſcopalis.



GENVAE,

EX TYPOGRAPHIA PAVONIS.

MDCIII.

DIE XX. MAII. MDCIII.

F. Baptista de Finario Inquisitor Genuæ vidit hos tres Libros Epistolarum D. Io. Nicolai Saulij Carregæ. fol. 216. & nil inuenit quod sit Catholicę Fidei, & Bonis moribus contrarium, & in fidem manum propriam apposuit.

F. Baptista Inquisitor qui supra manu propria.

Camillus Hectorius Vicarius Archiepiscopalis.



GENVAE,

EX TYPOGRAPHIA PAVONIS.

MDCIII.